

Zur

# öffentlichen Prüfung aller Klassen

des

## Königlichen Gymnasiums zu Marienwerder

Dienstag den 4. Oktober 1859

ladet ergebenst ein

der Direktor

**Dr. Aug. Lehmann.**

---

### Inhalt.

- 1) Eine Abhandlung vom Professor Dr. Schröder.
- 2) Jahresbericht vom Direktor.

---

Marienwerder, 1859.

Gedruckt bei Friedrich August Warich.



# offentliches Bibliothek

Public Library

in Torun

Library

KSIĄZNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

~~Stadtbibliothek~~  
Chorn

AB 1697

**De Graecorum iuramentis  
interiective positis**

**dissertatio prima**

scripsit

**Dr. G. A. Schroeder.**



offentliches Verzeichnis aller Bücher

der Stadt Torun

im Jahre 1800

von dem Stadtschreiber

KSIĄZNICA MIEJSKA  
IM. KOPEJNIKA  
W TORUNIU

~~Stadtschreiber~~  
Chorn

AB 1697

**De Graecorum iuramentis**  
**interiective positis**

**dissertatio prima**

• scripsit

**Dr. G. A. Schroeder.**

De Graecorum instrumentis

interiective positis

dissertatio prima

scripta

Dr. G. A. Schroeder

Cum societas humana et universa vitae communitas nulla re magis quam fide et dictorum conventorumque constantia contineatur, ad fidem vero faciendam omnium plurimum valeat religiosa affirmatio et quae quasi praesente deo proponitur: antiquitus ad eam rem iuramenta conceptaque verba inventa sunt, nec ulla res gravior quidem rite agi aut cum altero contrahi existimata est, quae non iurisiurandi ac vel plurimum deorum testium et vindicum auctoritate sancienda et firmanda esse videretur. *Ἄνευ γὰρ ἀναγκαίης ἰσχυροῦς*, ut ait Herodotus (I. c. 74), *συμβάσεις ἰσχυραὶ οὐκ ἐθέλουσι συμμένειν*. Et gravior etiam magnificentiusque Dionysius Halicarnassensis (Antiqq. Rom. VI. c. 84), ut, quanta vis esset iurisiurandi quantumque in eo vinculum iuris et religionis, ostenderet, *Τελευταία πίστις*, inquit, *ἅπασιν ἀνθρώποις, Ἕλλησι τε καὶ βαρβάροις, ἦν οὐδεὶς πώποτε ἀναιρήσει χρόνος, ἢ δι' ὄρκων καὶ σπονδῶν ἐγγνητὰς θεοῦς ποιουμένη τῶν συμβάσεων, ἐφ' ἧς πολλοὶ μὲν ἰδιωτῶν ἐχθραὶ μικραὶ, πολλοὶ δὲ πόλεμοι πόλεσι πρὸς πόλεις συστάντες διηλλάγησαν*. Verum enimvero, quae fuit generis humani levitas, quod propter rempublicam et civilium institutorum gravitatem necessarium ac lege ceremonisque sacrandum, violatum vero inexpiabili odio et supplicio sancendum erat, id cum ceteris mortalibus, nisi forte Phryges excipiendi sunt (Nicol. Damasc. apud Stob. Serm. XLIV. Tom. II. p. 196. Gaisf. Lips., quamquam non consentit cum Nicolao Euripides Orest. 1531. Pors.) sed Graeci etiam ad privatos usus et ad familiares confabulantium sermones ita transtulerunt, ut, quo quis esset studiosior constanter dicendi et fidei audientibus prope extorquendae, eo delaberetur proclivius ad iuramenta orationi suae intexenda. Testes sunt quum omnium Graecorum et poetae et oratores, tum plerique Attici raro sermocinari familiariter aut copiosiore orationem fundere consueverunt, quin ad persuadendum aut id dictis adūcerent, quod iuramenti instar haberet, aut ipsorum deorum religionem assumerent. Quam quidem consuetudinem quum perantiquam esse et ad quamlibet causam, non magis civilem quam domesticam, traductam videamus, ratio ipsa credi vetat, id tum denique invaluisse, ex quo Graeci corruptis moribus ad deteriora ruere coepissent, sed ab eadem potius et aetate et origine, qua publica et solemnia iuranda, profectae istae privatim iurantium formulae, etsi non pari cum illis auctoritate fuerunt, fidem tamen non minorem habuerunt, quam habuit is, a quo iuratum erat. De quo verissime Aeschylus (apud Stob. Serm. XXVII):

*Οὐκ ἀνδρὸς ὄρκου πίστις, ἀλλ' ὄρκων ἀνήρ.*

illud Euripideum autem:

*Ἦ γλώσσ' ὀμώμοχ', ἢ δὲ φρεν' ἀνώμοτος,*

etsi privatim Hippolytus iuraverat, tamen summa apud omnes omni tempore infamia flagravat (Aristoph. Ran. 101. 1492; Thesmoph. 281 sqq.; Platon. Sympos. c. 20; Cephisodor. apud Athen. III. c. 94; Lucian. Vitar. auct. c. 9). Quae quum ita sint, quoniam Graeci iam inde ab Homericis temporibus (Od. XVIII. 55 sqq.; II. 373 sqq.; XIII. 298 sqq.; XV. 435.; cf. II. XIV. 270 sqq.) tantum privatorum iuramentorum religioni tribuerunt, ut vix amantium periuria impunita esse concederent (Plat. Phileb. c. 41; Callimach. Epigr. XXVI.): homines simplices et antiquiore certe aetate omnia ad religionem et ad fidem referentes, si quam levitatis culpam contraxerunt iuramentis in quotidiana vita cumulandis, excusate certe, non impie id deliquisse putandi sunt, quod praeclaro fidei tuendae instrumento, quo vel totius reipublicae et singulorum civium incolumitatem niti crederent (Pausan. VIII. 7. 4), se ipsos et res suas privatas augustiores et munitiores reddi voluerunt, tantumque absuit, ut, quum omnibus temporibus exstitissent, qui propter deorum sanctitatem crebro iurandi licentiam coercendam esse censerent (*Ὄρκον παραίτησαι, εἰ μὲν οἴοντε, εἰς ἄπαν, εἰ δὲ μὴ, ἐκ τῶν ἐνότιων.* Epictet. Enchirid. c. 33), illis sapientibus vulgo obtemperarent, ut iusiurandum tanquam pietatis et fidei praesidium adigerent vel invitos (Aristoph. Ran. 304; Lucian. Toxar. c. 11; Sophocl. ap. Stobaeum Serm. XXVII.). Accedit, quod scriptores, praesertim fabularum scenicarum artifices et quotidianorum sermonum imitatores, eiusmodi iuramentis, concitatoris animi indicibus, singularem quandam et auctoritatem orationi suae addi et gratiam conciliari arbitrabantur. Itaque haec ego iuramenta a Graecis subinde vel asseverantibus aliquid vel sese efferentibus illigata sermonibus, quum neque auctoritate omni careant, et ad affectum loquentium et ad colorandam orationem satis magna vi sint et dignitate, ita perquirere instituo, ut primum quae formae illis fuerint iurandi, eaeque non tam subitaria scribentium libidine et elatione fusae, quam communi frequentioreque hominum usu nobilitatae, deinde quae grammatica ratio et potestas sit istarum formularum maxime in Atticorum libris, denique qui iurativorum et deorum et rerum delectus fuerit, diligentius pervestigandum et exponendum esse putem.

Jam omnium primum constat, non magis in solemnibus iurando et apud magistratus dando, quam in his ultro deierantium formulis Graecos cum ceteris vocabulis usos legitimi iuramenti propriis, tum voce *ὄρκον*. Duplex est autem huic subiecta notio, ut et actum significet iurandi et eam rem vel deum, per quem iuratur, eamque propriam et antiquiorem significationem indicat Buttmanus (Lexilog. II. p. 53), paucis ille Homeri et Hesiodi locis nixus minus subtiliter enarratis. Cuius sententiae vel hoc videtur repugnare, quod Graeci etiam in iis iuramentis, quae sunt per vota et per execrationes nec rem deumve iurativum adiunctum habent, nihilominus dixerunt *ὄρκον* (Athen. X. c. 56; Aristoph. Ran. 597; Sophocl. Oed. R. 652); nec gravius alterum puto esse argumentum, quo utitur Buttmanus, ab originatione ductum. Vis vero et potestas iurandi quae sit suapte natura, inter philosophos, theologos, iureconsultos in diversas partes disputatur, plurimaeque sunt prudentium hominum de ea re variaeque sententiae (Fr. Bayer, Betrachtungen über den Eid. p. 130 sqq.); sed ab illius iurandi sanctitate et amplitudine isti profani iuratores, de quibus ego disputo, tam longe distabant, ut pro affectus varietate et pro rerum gravitate modo religiosius modo levius fidem suam adstringerent affirmateque se loqui profiterentur, nec tamen, si quid temere et contra animi conscientiam dixissent vel promisissent, gravius aliquod dampnum timerent aut poenam periurii, quippe quae nulla esset, nisi quod existimationi suae et hominum de se opinioni officerent maculaque se adspargerent summae levitatis. Itaque, quoniam certis ritibus et adhibitis ceremoniis privatim Graeci fere non iurabant, nisi perraro et in re



tristiore\*), quibus verbis conciperetur iusiurandum, non magnopere laborabant; formularum igitur iis, qui ultro iurabant et privatim, tanta praesto erat multitudo, ut non modo, quae ad fidem faciendam aptissimae viderentur, eas iuratores ipsi deligerent, sed saepe etiam alterum dicere ac praecire iuberent, quibus verbis conceptis iurari a se vellet. Sed quamvis permagna sit ac paene infinita iurativarum formularum varietas, posse tamen universas ad quatuor iurandi genera revocari animadverti, quae aut singula singulis, aut, quo maior esset iurisiurandi auctoritas, coniunctim Graecis in usu fuerunt. Aut enim simpliciter ipsi aliquid, sed sanctiore aliquo testificandi vocabulo usi, affirmabant, aut quam vera essent, quae dicerent, deos testes citabant, aut fidem suam ita obligabant, ut, si fallerent, res diras sibi et male ominatas imprecarentur, aut denique veritatis eorum, quae dicerent, declarandae causa, comparatione aliqua et imagine usi, illa non minus vera esse profitebantur, quam quaedam alia a se commemorata, quae quin vera essent, nemo dubitaret.

Ac primum quidem genus, quo qui iurabat, una voce ὄμνυμι, ὄμνυμί σοι, vel simili verbo utebatur i. e. affirmate assevero, sancte dico, quoniam Graeci vulgo ebulliunt iuramenta pleniora, rarius quidem usurpatum magnam tamen et ab iurantis moderatione ac bona conscientia et ab alterius facilitate et fiducia commendationem habet. Usus est illa temperata iuramenti forma Xenophon (Anab. VII. 7. 40) cum Seuthe rege colloquens: Ὀμνυμι δέ σοι μηδ' ἀποδιδόντος δέξασθαι ἄν, εἰ μὴ καὶ οἱ στρατιῶται ἐμελλον τὰ ἐαντιῶν συναπολαμβάνειν. et alii alibi, Aristophanes (Avv. 445), Antiphanes (apud Athenaeum IV. c. 44), Aristaenetus (II. 2). Similia sunt ἐπομόσας λέγω (Xenoph. Oecon. XX. 29), ὄρκιος δέ σοι λέγω (Soph. Antig. 305), quod dicitur apud eundem (Colchid. fragm. p. 18.) ἐπομνύντα φάναι, apud Herodotum vero (IX, 11.) εἰπεῖν ἐπὶ ὄρκου, VIII. 5. ἐπομνύντα εἰπεῖν, et quae iam apud Homerum conceptorum iuramentorum praenuntia leguntur:

Ἄλλ' ἐγὼ οὐκ αὐτως μνηθήσομαι, ἀλλὰ σὺν ὄρκῳ. Od. XIV. 151.

Ἄλλ' ἐκ τοι ἐρέω καὶ ἐπὶ μέγαν ὄρκον ὁμοῦμαι. II. I. 233.

In uno autem verbo ὄμνυμι similibusque Graecos plenum ac legitimum iusiurandum situm existimasse, deorum vero invocationem pro accessione modo et complemento habuisse, quippe pro hominum conditione et pro temporum varietate mutabilem, plane etiam inde perspicitur potest, quod rerum gestarum scriptores, oratores, poetae, ὀμόσαι aliquos, ὄρκον ὀμόσαι, σπείσασθαι, ὄρκους ποιήσασθαι et ἀνανεώσασθαι, μεγίστους ὄρκους ὀρκῶσαι, ὄρκους γεγενῆσθαι καὶ δεξιὰς δεδόσθαι, plus semel referunt, per quos deos autem iuratum sit, ne verbo quidem significandum esse existimant (Cf. Thucyd. V. 18. 19. 24; VIII. 75; Andocid. de myster. §. 97 98; Xenoph. Anab. II. 5. 3; Hellen. VI. 4. 18; VI. 5. 2), ut in una asseverationis gravitate vel ceremonia fidem iurisiurandi esse appareat.

Quamquam non nego equidem, morem Graecorum sic tulisse, ut plerumque dii in testimonium adhiberentur (idque alterum genus iuramentorum est), aut unus, aut ad augendam iurisiurandi sanctitatem plures, et ii quidem, qui vel potestate plurimum pollere credebantur, velut Iuppiter\*\*),

\*) De his sacris ceremoniis exponere et de iurandi ritibus, qui in Iliade non semel commemorantur neque desunt in tragicis plurimum vero a romanensium fabularum scriptoribus adhibentur, distuli in eam disputationem, qua de diis iurativis dicendum est.

\*\*) Paene recte negat Reisigius Thuringus ad Oed. Col. p. 404. in compositis iuramentis Iovis nomen unquam postponi ceteris, quod illius maximum sit mortalibus iusiurandum. Posse

vel in quorum tutelari praesidio is qui iurabat vel pro vitae suae genere, vel pro singulari fortuna, vel casu etiam esse se opinabatur. Qui dii quum omnia scirent, omnia audirent, (etenim id saepenumero deorum nominibus diserte adicitur,) nemo illis potuit melius et verius contestari, integra fide iuratum esse, praesertim quum tanta sanctitate esse crederentur, ut is qui iurabat, quadam veneratione et sanctimonia perfusus, tantis testibus quasi praesentibus fallere aut peierare non posse, sin minus, cum damno suo deorum praesidium summa levitate animi renunciare videretur. Hinc et illud est, quod Socrates apud Platonem (Alcibiad. I. c. 6), postquam per Deum amicitiae praesidem deieravit, hoc religionis et venerationis indicium nomini Dei adiungit: *ὄν ἐγὼ ἤμιστ' ἂν ἐπιορκήσαιμι.* et similia alia additamenta iurativis et diis et rebus attexi solita (Cf. Moschi Idyll. IV. 76; Eurip. Orest. 1531; Homer. Il. XV. 40; Heliodor. IV. c. 13; Theocrit. V. 18.), quibus, quanta illi iurantibus essent dignitate et auctoritate, declararetur.

Genus igitur iuramentorum per deos conceptorum simplex, partes plures, iisque saepe eiusmodi etiam res iurativae admixtae inveniuntur, quae quum proprie divinae naturae non sint, tamen certis de causis aut singularem quandam sanctitatem habere atque pariter ac dii ipsi venerabiles esse existimantur, aut eo consilio a iurantibus in testimonium adscitae videantur, ut fidei suae integritatem imagine quadam et per rerum comparationem exprimerent declararentque. De quo genere post separatim disputabitur, nunc, quod propositum est, iuramentorum afferam formas deorum nominibus distinctas. Ordinem ducat ea formula, quae cum superiore maxime cognata nec alia re dispar est, quam addita deorum auctoritate. Quod igitur apud Xenophontem legitur (Cyrop. V. 4. 31): *Ὅμνυμί σοι τοὺς θεοὺς, οἳ καὶ ὀρκῶσι πάντα καὶ ἀκούουσι πάντα;* Anab. V. 9. 31: *Ἄλλ', ὦ ἄνδρες, ὡς πάντ' εἰδῆτε, ὀμνύω ὑμῖν θεοὺς πάντας καὶ πάσας, ἧ μὴν ἐγὼ — ἐθνόμην,* vel quod Athenis Heliastarum iurando addi lex iubebat: *Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Διμήτρα* (S. Petit. de legg. Attic. p. 398), vel quod paulo immutatum habet Xenophon (Cyrop. II. 3. 12): *Σὺν θεῶν ὀρκῶ λέγω* — id oratorum et poetarum consuetudo multis modis variavit.

*Ὅμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν Ἥλιον τε φῶς,*

*θεοὺς τε πάντας, ἐμμενεῖν ἄ σου κλύω.* Eurip. Med. 735.

*Ὅμνυμι ἔγωγε, Ζῆν' ἔχων ἐπώμοτον.* Sophocl. Trach. 1156.

*Ὅμνυμι δ' ὑμῖν, ἄνδρες, αὐτὸν τὸν θεόν,*

*Ἐξ οὗ τὸ μεθύειν πᾶσιν ἡμῖν γίνεται,*

*Ἡ μὴν κ. τ. λ.* Antiphan. ap. Athen. X. c. 37.

*Ἐπόμνυμι σοι θεῶν τὸν κάλλιστον Ἥλιον καὶ θεοὺς τοὺς ἄλλους.* Heliodor. VII. 26; *Σοὶ ἐπόμνυμι τὸν ἐμὸν θεόν.* Long. Pastoral. IV. pag. 113; denique Hippocrateum illud *Ὅμνυμι τὸν Ἀπόλλωνα ἱητρὸν καὶ Ἀσκληπιὸν καὶ Ὑγίειαν καὶ θεοὺς πάντας καὶ πάσας ἱστορας ποιεύμενος* similiaque iuramenta vario modo colorata invenies Herod. I. 212; Demosth. Aristocrat. Tom. III. p. 5.

tamen id interdum fieri, intelligi debet, non quidem ex Aristoph. Pac. 218:

*Ἐξαπατάμεθα*

*Νῆ τὴν Ἀθηναῖν, νῆ Δε' οὐχὶ πειστέον.*

(nam is versus sine dubio sic dispescendus est:

*Νῆ τὴν Ἀθηναῖν· νῆ Δε' οὐχὶ πειστέον.)*

sed ex eo, quod paulo inferius commemorabitur sacramento ephchorum Atticorum et ex Heliodori Atheniensis iuramento, quod legitur apud Galenum (Antidot. II. p. 77), per Aesculapium, Solem, Iovem concepto.

Tauchn.; Aristoph. Thesm. 279 & 281; Nubb. 246; Xenoph. Anab. VI. 6. 17; VII. 6. 18.; Sympos. IV. 11; Eurip. Hippol. 1026; Phoeniss. 436; Menandr. fragm. p. 38 et 115. Meinek.; Heliodor. II. 30; V. 20; VIII. 7; Achill. Tat. V. 16 et 19 et 21; Melcagr. Epigr. IX. 3 et XVII. 3; Xenoph. Ephes. I. 11 et V. 14; Long. Pastoral. IV. p. 120; Pseudo-Anacreont. in mort. Adonid. 22 — 25.

Fere antiquissima autem et usque ab Homericis propagata temporibus ea est iurandi forma, qua dii id, quod iuratur, scire hoc est animadvertere, vel iurantium testes ac vindices aut iubentur esse, aut iam esse dicuntur; res vero inanimae si quando tali iurando interpositae inveniuntur, quum non satis commode dici possint aliquid scire vel animadvertere, putandae sunt invocari non tam ut ipsae sciant, vel testes adsint, quam ut pro veritatis indicio ac testimonio valeant. Pertinet ad hoc genus et illud, quo deos ipsos usos esse Homerus finxit, iusiurandum per Tellurem et Coelum et Stygiam aquam conceptum:

*Ἴστω νῦν τόδε Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρύς ὑπερθεῖν  
καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδαρ, ὅστε μέγιστος  
Ὅρκος δεινότατος τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.*

(Hom. Odys. V. 184; II. XV. 36; Hymn. Apoll. Del. 83.) et aliae hominum quidem apud Homerum iurationes, Ulixis Odys. XIV. 158:

*Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν, ξενίη τε κρᾶπιζα,  
Ἰστίη τ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος, ἦν ἀφικάνω.*

similesque et eiusdem Ulixis (Od. XX. 230; XIX. 303) et Agamemnonis (II. VII. 411; XIX. 258) et Hectoris (II. X. 329), et frequentatur hoc genus ab epicis recentioribus, a nemine magis quam ab Apollonio Rhodio. Attici vero in quotidiana quidem vita hoc iuramento fere abstinebant, sed plurimum utebantur Thebani, uti animadvertit Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. 1671, quo loco inducitur Antigona Haemonem sponsum sua se manu geniali nocte interfecturam iurans:

*Ἴστω σίδηρος ὄρκιον τέ μοι ξίφος\**

Hinc apud Platonem Phaedon. c. 6 Cebes Thebanus: *Ἴτω Ζεὺς, ἔφη, τῆ αὐτοῦ φωνῆ εἰπόν.,* itemque non modo Aristophanes, is qui plurimum, quod cuiusque dialecti proprium esset, in scena repraesentari voluit, Boeotos finxit iurantes *Ἴτω Ζεὺς\** (Acharn. 919), *Ἴτω Ἡρακλῆς\** (ibid. 868), sed etiam Sophocles Antig. 184 Creontem hoc utentem iureiurando induxit:

*Ἐγὼ γὰρ, Ἴστω Ζεὺς ὁ πάνθ' ὀρώων ἀεὶ,  
Οὐτ' ἂν σιωπήσαιμι. κ. τ. λ.*

et Oed. Col. 522 Oedipodem:

*Ἦνεγκον κακότατ', ὦ ξένοι, ἦνεγκον, ἄνων μὲν, θεὸς Ἴστω, τούτων ἐθελήτων οὐδέν.*

Sed ne quis putet, aut Platonem, ubicunque Thebanos disputantes fecit, semper illud, quod semel animi causa admisit, *Ἴτω Ζεὺς* vel *Ἴστω Ζεὺς*, iis tribuisse (vide eiusdem dialogi in quo id reperitum est, cap. 4 et 48), aut ceteros scriptores atticcissantes ad Thebanorum potius quam ad Atticorum se composuisse consuetudinem, apud Plutarchum quidem (Apophth. reg. et imperator. Tom. I. p. 772. Wytt.), obscurato iam omni dialectorum discrimine, Pelopidas *νῆ Λία*, alius homo Thebanus (De genio Soer. c. 18) *νῆ τὸν Ἡρακλῆα* finguntur iurantes, id quod propter particulam *νῆ* Attico-

rum propriam non modo a Thebanorum domestico usu, sed ab omnium Doriensium (an dicam Aeolum?) abhorret. Quamquam ne Atticis quidem istud iuramentum tam peremptorie interdictum erat, ut verecundaretur aut Euripides Creusam, Atticam mulierem, per patriam deam sic iurantem inducere :

*Ἴστω Γοργοφόνα,*

*Ἄ σκοπέλοις ἐπ' ἐμοῖς τὸν ἐλαιοφυῆ πάγον θάσσει —*  
*Φοίβῃ ἠνιάσθην. Ion. 1498.*

et Argivas mulieres Iphigieiae fugam suam occultari cupienti hoc solatii afferentes :

*Ὡς ἔκ γ' ἐμοῦ σοι πάντα σιγηθήσεται,*

*Ἴστω μέγας Ζεὺς, ὦν ἐπισκήπτεις πέρι. Iphig. Taur. 1048,*

aut Sophocles Licham, Doriensem quidem hominem :

*(τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας νεμῶ,)*

*Ἴστω μέγας Ζεὺς, ὦν γ' ἂν ἐξειδῶς κινῶ. Trachin. 387.*

Quae quum ita sint, si Thebanorum illud proprium dixit Valckenarius, vir clarissimus, mihi non dubium videtur, quin id proprium non ad Imperativum, sed ad dialectum Boeotiam (*ἴστω*) referendum sit. Recoluit antiquitatis causa istius iuramenti memoriam Lucianus (*Toxar. c. 12*): *Ἴστω ὁ Ζεὺς ὁ Φίλιος*, et quasi Stygii iurisiurandi coloribus distinctam Diodorus Sardinianus (*Epigr. VIII. in Anthol.*), ubi Paula Tarentina fingitur maritum caedis reum defendens :

*Ἴστω νυκτὸς ἐμῆς, ἢ μ' ἐκρυφεν, οἰκία ταῦτα*

*Αἶψα Κωκύτου τ' ἀμφιγύητον ὕδωρ.*

Iam vero *ἴστορας θεούς* invocari, ut proprium et lege constitutum fuit ephebis Atheniensium, quum civitate donarentur, in leges iurantibus: *Ἴστορες θεοὶ Ἄγραυλοι, Ἐννάλμος, Ἄρης, Ζεὺς, Θάλλω, Ἀὔξω, Ἡγεμόνη*, (quorum quidem deorum nomina referuntur a Polluce VIII. 105, non addita sacramento leguntur apud Stob. *Serm. XLIII. (Tom. II. pag. 97. Gaisf. Lips.)*, ita non desunt exempla eiusdem usus privatim iurantium :

*Ἐγὼ δ' ἀπαυδῶ γ', ὡς θεοὶ ξυνίστορες,*

*Ἐπὲρ τ' Ἀτρεϊδῶν τοῦ τε σύμπαντος στρατοῦ. Soph. Philoct. 1293.*

*Ζεὺς δέ ξυνίστωρ οἱ τ' ἐν οὐρανῷ θεοί. Eurip. Suppl. 1173.*

a quibus formulis non multum abludit illud, quo dii alicuius rei conscii esse etiam simplicius et temperatius dicuntur :

*Ἦν οὔ ποθ' ἀνὴρ ὄδε, σύννοιδέ μοι Κύπρις,*

*Ἥισχνεν εὐνῆ. Eurip. Electr. 43.*

*Ὁ Φοῖβος οἶδε τὴν ἐμὴν ἀπαιδίαν. Eurip. Ion. 319,*

quae quidem Creusa dum pronunciat, ab Ione, cui de mulieris prole sciscitanti haec cum ambiguitate respondentur (enixa erat enim ex ipso Apollinae filium), sine dubio pro iureiurando accipi vult; penetravitque ea iurandi forma etiam in libros sacros. Paul. Ep. II. ad Corinth. XI. 31: *Ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἶδεν, ὅτι οὐ ψεύδομαι*. Recentis admodum memoriae et affectatae antiquitatis est, quod Democritus dipnosophistes iurat apud Athenaeum XV. c. 15: *Ταῦτα ἴσασιν οἱ θεοί, ὡς πρῶτος ἐν τῇ καλῇ Ἀλεξανδρείᾳ εὔρον* (sc. Menodoti epigrammata).

Habes duo genera iurisiurandi deorum maiestate ornati et quidem utrumque plures partes complexum; sed ne tertium quidem genus omittendum est, quod multo rariore quam superiores formae usu fuit neque, ut opinor, privatorum hominum sermones et confabulationes egresso. Verba μαρτύρεσθαι, ἐπιμαρτύρεσθαι, μάρτυρας καλεῖν ac similia quum propria sint obtestantium, quiritantium, contententium, ad iurisiurandi sacra iis rarius aditus patuit, alterius vero significationis id est testificationis fere ubivis exempla obvia sunt, velut Dinarch. Demosth. §. 64; Eurip. Phoeniss. 494 et 629 (μάρτυρας τῶνδε δαίμονας καλῶ. — Θεὸς μαρτύρομαι, ὡς ἄτιμος, οἰκτρὰ πάσχων, ἐξελαύνομαι χθονός.); Eur. Med. 22; Xenoph. Hellen. III. 4; Chariton. II. 5 (μάρτυρ καλῶ τήνδε τὴν Ἀφροδίτην); Asclepiad. Epigr. 18; Leonid. Tarent. Epigr. 52; Dioscorid. Epigr. 5; Paul. Ep. I. Timoth. 5. 21: διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Cf. Aristoph. apud scholiast. Plut. 1199. Nec tamen ex priore cohorte, id est iurantium, non afferam exemplorum quantum satis est.

Ἄλλ' οὖν ἐγὼ μὲν δαίμονας μαρτύρομαι,

Ὡς πάνθ' ὑποργεῖν σοὶ τε καὶ τέκνοις θέλω. Eurip. Med. 606.

Τὴν τοξόδαμνον Ἄρτεμιν μαρτύρομαι. E. Hippol. 1451.

Μαρτύρομαι σε, ὦ πολυτίμητε δαίμον, ὅτι ταύτης ἕνεκα τῆς ἡμέρας ἐπέζησα τῷ Σινάτου φόνῳ. Plutarch. Mulier. virtutt. Tom. II. p. 56. Wytt.

Τούτων μάρτυρας καλῶ Θεούς. Soph. Trachin. 1248.

Ζῆνα δ' ὄρκιον καλῶ. Soph. Philoctet. 1324.

Thucyd. II. 71. 4 (μάρτυρας δὲ Θεοὺς τοὺς ὄρκίους τότε γενομένους ποιοῦμενοι λέγομεν ὑμῖν μὴ ἀδικεῖν); Μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι. Paul. Ep. II. ad Corinth. I. 23. Atque etiam hae formulae μάρτυρές ἐστε, μάρτυς ἔστω ὁ Θεός, μάρτυς ἔστιν ὁ Θεός pari potestate utuntur, et quidem dupliciter. Iurantibus est Hom. II. III. 276 — 280:

Ζεῦ πάτερ, Ἰδηθεν μεδέων, κίδιστε, μέγιστε,

Ἥελίος δ', ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούεις,

Καὶ Ποταμοὶ καὶ Γαῖα, καὶ οἱ ὑπένερθε καμόντας

Ἄνθρώπους τίνυσθον, οὓς κ' ἐπίορχον ὁμόσση,

Ἵμεῖς μάρτυρές ἐστε, φυλάσσετε δ' ὄρκια πιστά·

Εἰ μὲν . . . κ. τ. λ. Cf. II. VII. 76. seqq.

Heliodor. VIII. 9: Τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν καθ' ὃ μέρος ἐπέβαλεν ὁ ἥλιος τὴν ἀκτῖνα ἀνακτείνουσα· Ἦλιε, ἀνέβησε, καὶ Γῆ καὶ δαίμονες, οἱ ἐπὶ γῆς τε καὶ ὑπὸ γῆν ἀνθρώπων ἀθεμίτων ἐφοροὶ τε καὶ τιμωροὶ, καθαρὰν μὲν εἶναι με τῶν ἐπιφερομένων (crimium), ὑμεῖς ἐστε μάρτυρες. Pindar. Pyth. IV. 297: Καρτερός ὄρκος ἄμμι μάρτυς ἔστω Ζεὺς· Apollon. Rhod. IV. 95: Ζεὺς αὐτὸς ὄρκιος ἔστω. et ipsius Sancti Pauli Epist. Rom. I. 9; Philipp. I. 8: Μάρτυς γάρ μου ἔστιν ὁ Θεός; Ep. I. Thessalonic. II. 5: Θεὸς μάρτυς. Testantis vero rem praesentem sunt aut obtestantis Aeschyl. Eum. 634 (μάρτυς πάρεσσι παῖς Ὀλυμπίου Λιός); Sophocl. Antig. 846 (ἐμπαρξύμαρτυρας ὑμῖν ἐπικτώμαι); Aristoph. Acharn. 934, Pac. 1118; Heliodor. I. 25 (Θεὸς μάρτυρας καλεῖσθαι), IV. 8 (ἐπικεκλήσθω μάρτυς ὁ γενεάρχης ἡμῶν Ἥλιος); Hom. Odys. I. 273; Plat. Apolog. c. 5 (μάρτυρα παρέξομαι τὸν Θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς); Xen. Cyr. IV. 6. 10 (Θεοὶ δὲ ἡμῶν μάρτυρες ἔστων); Pauli Apostoli Epist. I. ad Thessalonicens. 2, 10; Sosipatr. Epigr. III. 7; Antipatr. Sidon. Epigr. XLVIII. 5; Pallad. Alexandrin. Epigr. LXX. 2; Asclepiad. Epigr. XVIII. init.

Et quoniam de tribus generibus diximus, sequitur illud, quo nullum ex iuramentis per deos

resve sacras conceptis aut saepius usurpatum Graecis et per plures omnium sermones disseminatum, aut crebro ac paene plebeio abusu magis profanatum fuit. Iuratio enim, quae particula *Μά* adiecto Accusativo nominis iurativorum tum deorum tum rerum continebatur, in brevius contracta ita instar fuit ceterarum omnium, ut modo pro deorum testium invocatione, modo pro suimet execratione, modo pro comparativo iureiurando seu per imaginem expresso iurantibus valeret; interdum vero hoc deierandi genus (maximeque *μά Δία, μά τὸν κύνα*, similia) ipso abusu ad tantam exilitatem recidit, ut omnis sacramenti vis extabuisse et ad meram interiectionem extenuata esse videretur. Nam si uspiam, in hoc genere verum fuisse deprehenditur, quod supra ab Aeschylō dictum attuli, tantam esse iurandi fidem, quanta esset hominis ipsius. Posse tamen *νή Δία*, quae formula Atticis perlevis esse solet affirmatio, etiam primariam vim et deum hominumque patri convenientem in privatorum sermonibus obtinere, non desunt exempla quae persuadeant, veluti Aristoph. *Ran.* 304:

Xanthias. *Ἡ ἔμπουσα φροῦδη.*

Dionysus.

*Δία κατόμοσον.*

Xanthias.

*Νή Δία.*

Dionysus. *Καὶ θεις κατόμοσον.*

Xanthias.

*Νή Δί.*

Dionysus.

*Ἵμοσον.*

Xanthias.

*Νή Δία.*

Quo iureiurando perfecto, licet aliquoties repetito, efficit Xanthias, ut resipiscat alter formidinemque deponat. De cetero propemodum vera sunt, quae a veteribus doctoribus, a scholiastis, a Photio, Suida, Thoma Magistro, Eustathio (II. pag. 92.) traduntur: *Ὅταν τεθῆ τὸ Μά, ἢ προσκείμενον ἔχει τὴν ἀρησίαν, ἢ νοουμένην. Ὅταν μέντοι προηογούμενον ἔχη τὸ Ναί, τὴν ἰσχὺν ἀπασάν ἔχει τὸ Ναί.* Quamquam in his praeceptis sunt, quae et temporum usus et dialectorum varietas mutavit et singulorum scriptorum consuetudo novavit, velut quod recentiorum poetarum perquam peculiare est, in hoc genere uti prosphonesi et apostrophe: *Ναὶ μά σε, Βάκχε.* Meleagr. LVII. init.; *Οὐ μά σε, Κύπρι.* Philodem. Epigr. I. 3; *Οὐ μά σε γὰρ, Κρονίδη, κόσμον πάτερ,* Straton. Sardian. XXXVI. 5; *Οὐ μά σε, Φοῖβε.* Statil. Flacc. Epigr. II. 3; *Ναὶ μά σε, δαίμων.* Epigr. ἀδέσπ. XIV. 5; *Ναὶ γὰρ δὴ τὰ σὰ τόξα* (sc. Cupido). Meleagr. XXXII. 3. Quod vero Lucianus in Timone Plutum cum ipso Iove colloquentem c. 12 et 16 apostrophe abstinere, sed et obtestari Iovem tanquam non praesentem (*Σχόπει γὰρ, ὦ Ζεῦ, πρὸς Διός κ. τ. λ.*) et iurare *νή Δία* voluit, id data opera et per ridiculum fecit. Ipsa autem particula *Μά*, quae perantiqua est, quid proprie significaret, nemo tradidit antiquorum, propterea quod primaria vis vocis mature oblitterata videtur; pro praepositione vero quominus habeatur (ex patria certe lingua nihil magis ei respondet, quam praepositio *be i*, velut *be i Gott!*), duplex causa prohibet, altera quod qui Dorice loquuntur, ista voce in iurando fere abstinentes quartum casum tamen retinent, quippe non ex voce *μά*, sed ex iurandi (*δμύναι*) verbo per ellipsin suspensum, altera quod istae deierandi formulae cum ipsis iurandi verbis nusquam compositae reperiuntur. Quod qui aliter sentiant, Lambertus Bos, multique alii, ii in errorem inducti videntur eiusmodi locis, quales sunt aut Eurip. *Cyclop.* 265: *μά ἱερὰ κύματ' ἰχθύων τε πᾶν γένος, ἀπόμοσ', ὦ δεσποτίσκε, μὴ τὰ σ' ἐξοδᾶν ἐγὼ ξένοισι χρέματα;* aut Xenoph. *Oecon.* XX. 29: *Νή Δία ἐγὼ δέ γε, ὦ Ἰσχύμαχε, ἐπομόσας λέγω, ἢ μὴν πιστεύειν σοι κ. τ. λ.*, aut Lucian. *Toxar.* c. 38: *Πρότερον ὁμοῦμαί σοι τὸν ὄρκον τὸν ἡμέτερον, ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἐν ἀρχῇ* (cap. 11.)

διωμολογησάμην· οὐ μὰ γὰρ τὸν Ἄνεμον καὶ τὸν Ἀκινάκην οὐδὲν πρὸς σε ψεῦδος ἔρω περὶ τῶν φίλων τῶν Σκυθικῶν. aut Meleagr. Epigr. IX. 3: Ναὶ μὰ τὸν ἄβρον ἔφηβον ἐπόμεναι, in quibus locis omnibus appositum verbum iurandi quasi repetit iuramentum atque confirmat, non explet syntaxin enunciationis et iuramenti, ut in quarto loco Meleagri post ἔφηβον commate distinguendum esse appareat. Falso igitur Lambertus Bos pag. 641 contendit, ab Aristophane dictum esse Ὀμνυμι νῆ τὸν Δία· quod si quis unquam dixit, certe non id significat, quod ille putat, per Iovem iuro, sed potius Iurare me, Iovem testor. Quem autem Aristophanis locum dixit, est is, ni fallor, Nubb. 827, ubi olim ὄμοσας νῦν νῆ Δία legebatur, quod primum a Reisigio Thuringo (Coniectan. I. p. 109) ex coniectura in ὄμοσας νῦν δὴ Δία mutatum, post a Godofr. Hermanno libris auctoribus omnino restitutum est ὄμοσας νυνὶ Δία, quippe utroque viro Graece docto; nam ὄμοσας νῆ Δία· i. e. iurasse te, Iovem testor isto loco prorsus ineptum est. Quae quum ita sint, relinquatur, ut Graeci antiqui particulam Μὰ iurandi vel aientis vel negantis indicem tantummodo et notam esse voluerint, per se vero illi neutram vim subiecerint, sed, utra significatio valeret, aut affirmativo adverbio Ναί, aut negativis vocabulis οὐ, μή et enatis inde propaginibus, denique adversativa particula ἀλλά (perraro δέ), separatim adiectis aperuerint; nam Μὰ in affirmante iurando ponere non addito adverbio Ναί, senescentis et extremæ Graecitatis est. (Jacobs ad Achill. Tat. VIII. 5). Plenae igitur istae formulae καὶ μὰ τὸν Δία, οὐ μὰ τὸν Δία (ut hoc utar) similesque interiective quidem, sed integrae sententiae loco (Ita me Iuppiter amet, Iuppiter me perdit, per Iovem testor) ab antiquis ponebantur, ad solam eius ipsius, qui loquitur, personam relatae, quam vocant grammatici primam, sive ut rem uno exemplo declarem, in Aristoph. Eccles. 492: Σὺ δέ γε νῆ Δία δρᾷ ταῦτα — iuramentum non est secundae personae aut cum Imperativo copulandum, sed iubentis et praecipientis affectum denotat, ut sit eius loci sententia Σὺ δέ γε νῆ Δία χρῆ ταῦτα δρᾶν, ὥσπερ καὶ ἄλλον, ἵνα ἀριστῆς. Interiective autem ut istae formulae ponerentur, neque regimen, quod dicitur, enunciationum ullo modo attingerent variarentur, ita mos fuit omnium Graece loquentium, ut, si quando ab hoc descitum est, id quoque senescentis iam et degenerantis Graecitatis esse videatur. Ex hoc genere est Alciphron. II. 3: Ἐγὼ μὰ τὰς Ἐλευσινίας θεᾶς, μὰ τὰ μυστήρια αὐτῶν, ἃ σοι καὶ ἐναντίον ἐκείνων ὄμοσα πολλάκις, Γλυκέρα, μόνος μόνῃ, ὡς οὐδὲν ἐπαίρω τὰ ἐμά. οὐδὲ βουλόμενός σου χωρίζεσθαι, ταῦτα καὶ λέγω καὶ γράφω. quibus verbis Meinekios (Menandr. fragm. p. 342) offensus, si pro ἐπαίρω scribi voluit ἐπαίρων mutarique distinctionem, easque coniecturas in contextum scriptoris nuper a se editi recepit, non habeo equidem quod obloquar viro clarissimo; quod vero verbum ὄμνυμι desiderat vel potuisse hoc istis iuramentis addi putat, id assentiri et ratio vetat et persimilis eiusdem scriptoris locus (libr. II. epist. 2): Νῆ τὰ μυστήρια, νῆ τὴν τούτων τῶν κακῶν ἀπαλλαγὴν, ὡς ἐνθνημηθεῖσα τοῦ Τιμάρχου τὸν χωρισμὸν ἄρτι ἀπέψυγμαί καὶ ἰδρῶ, καὶ τὰ ἄκρα καὶ ἡ καρδία μου ἀνέστραπται. in quo utroque loco ὡς non causale, neque σχελιστικόν, sed praedicativum esse, iurandi formulas igitur in integrae vicem enunciationis ita successisse agnosco, ut, quum sexcenties dicatur ὄμνυμι ὡς, Alciphro hoc sibi indulerit, ut diceret νῆ τὰ μυστήρια, ὡς —. Quod etsi fecit contra antiquitatis usum, tamen non fecit sine exemplo; nam admodum simile est iuramentum voce ἐνώπιον effectum, quod in libro sacro legitur Epist. Pauli Apostoli ad Galat. I. 20: Ἄ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι, tametsi idem I. Timoth. V. 21 melius Graece dixit: διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τ. Θε. Pseudo-Anacreontis autem locum pag. 54. Mehlh.

*Ἄφες με, τοὺς θεοὺς σοί,  
Πιεῖν, πιεῖν ἀμυσί.*

in quo iuramentum inesse autumant, vix est quod magnopere curemus. Unus certe Scaliger vidit, quid saltem posset dici: idem nimirum, quod in simili oratione legitur apud Aristophanem Eqq. 341:

*Πάρες, πάρες πρὸς τῶν θεῶν αὐτῶ διαδύραγῆναι.*

Ceteri interpretes poetillae ad unum omnes iuramenta et obtestationes parum discreta habuerunt neque intellexerunt, id quod vulgo editur, *τοὺς θεοὺς σοί*, non Graece dictum esse exspectarique, si tanti est, sospitatore loci corrupti. Sed ut redeat, unde huc degressa est oratio, quamvis Graeciae gentes communiter omnes in ultro iurandi consuetudinem propenderent, habebat tamen quum in ceteris iuramentis, tum in hoc decurtato genere antiquitus suos quaeque mores et deos iurativos atque formas iurandi a ceteris diversas. Ionum et Atticorum communis fuit formula *ναὶ μὰ τὸν (Δία)* et *οὐ μὰ τὸν (Δία)* sive *μὰ τὸν (Δία) οὐ*, quorum utrumque exstat iam apud Homerum: *Ναὶ μὰ τόδε σῆπτρον.* Il. I. 234; *οὐ μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα Διὸ φίλον.* Il. I. 86; *οὐ μὰ Ζῆνα.* Odys. XX. 339; Il. XXIII. 43. Formulae *ναὶ μὰ Δία*, quae in Atticorum libris fere omnibus paginis obvia vel puerorum ore vigeat (Aristoph. Vesp. 309. 312) sensimque maxime evilescebat abusu, non reperio antiquiorem memoriam quam Theognid. 1011. Separatim praeterea Atticorum proprium erat, ut pro *ναὶ μὰ* — possent etiam *νῆ (Δία)* dicere (schol. ad Hom. Il. I. 234), qua forma recentioris scriptores aetatis, quo magis loquerentur Attice, data opera libros suos exornabant, ut Lucianus quidem illa antiquiore forma *ναὶ μὰ (Δία)* abstinens semper *νῆ (Δία)* diceret, rhetores autem eum ipsum usum commendarent auditoribus, quo similior horum esset oratio Demostheni scilicet (Cf. Lucillii Epigr. LXXXVII. in Antholog.). *Νῆ μὰ* — autem, quod quorundam hominum doctorum et ipsius etiam Passovii sollertia Atticis non semel ivit obtusum, inquinatum est ac barbarum. Venio ad Dorienses, qui, ut est apud Gregorium Corinthium pag. 257, *τὸ Μὰ ἔξωθεν προσλαμβάνουσιν*, eique legi plerique omnes, qui Dorice scripserunt, diligenter obediunt, nec tamen persuaserunt Triclinio, qui quum apud tragicos vocem *μὰ* saepius omitti animadvertisset, ad Sophoclis Electr. 1063. Br. eam consuetudinem solis attribuit Atticis. Doriensium id fuisse proprium, primum evincunt tragici in choricis: Soph. Oed. R. 660 *Οὐ τὸν πάντων θεῶν πρόμον Ἄλιον.* Ibid. 1088 *Οὐ τὸν Ὀλυμπον.* Electr. 1063 *Οὐ τὰν Διὸς ἀστραπάν.* Ibid. 1239 *Οὐ τὰν Ἀρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν.* Eurip. Ion. 884 *Ἄλλ' οὐ τὸ Διὸς πολύαστρον ἔδος.*, idemque adeo in senariis Sophocles fecit Antig. 758 *Οὐ τόνδ' Ὀλυμπον.* propterea quod hominem Doriensem, Creontem, iurantem finxerat, cui patrium usum eodem modo servavit, quo supra vidimus in iuramento *ἴσω*; alibi tamen et in diverbiis id fieri non solet, velut Eurip. Phoeniss. 1013. Valck. Menoeceus Thebanus *μὰ τὸν* — iurans inducitur. Nam extra chorica carmina tragici et affirmantes et negantes Atticorum consuetudinem constanter tenent, velut eo, qui a Strabone (VIII. c. 5. §. 3) enotatus est, loco Sophoclis:

*Νῆ τὸ Λαπέρσα, νῆ τὸν Εὐρώταν τρίτον,  
Νῆ τοὺς ἐν Ἀργεὶ καὶ κατὰ Σπάρτην θεοὺς.*

(quibus verbis aperte Laco iurans fingitur); negativi autem iuramenti multo plura exstant exempla: Aeschyl. Agam. 1419; Soph. Electr., 626 & 881; Eurip. Iphig. Aul. 729 & 937, alia. Quam autem tragici legem de non utenda Doribus voce *μὰ* secuti sunt, eandem religiose observavit Aristophanes, quotiescunque Doricae stirpis homines in scenam commisit. Sybaritana mulier *ναὶ*



τὸν Κόραν iurat Vesp. 1478, Megarenses *ναὶ τὸν Φίλιον, ναὶ τὸν Ἐρμῆν, ναὶ τὸν Διοκλέα, ναὶ τὸν Ποτείδαυ.* Acharn. 738, 750, 782, 850, quamobrem Dindorfius, qui in eiusdem fabulae versu 775 (ipsius edit. 733), quod optimaē notae liber Laurentianus praebet, *ναὶ μὰ Δία*, repudiavit ipso metro coactus scripsitque *ναὶ Δία*, idem facere debebat v. 787 (745), ut scriberet *ναὶ τὸν Ἐρμῆν*, non *ναὶ μὰ τὸν Ἐρμῆν*, siquidem illa forma, etsi non efflagitatur quidem metro, tamen et permittitur versu senario et sola est apta ad hominem Megarensē habebaturque sine lectionis varietate v. 750 (708). Itemque Lacones sine sexus discrimine *ναὶ τὸ σιώ, ναὶ τὸν Κάστορα, οὐ τὸν Δία, οὐ τὸ σιώ* iurant Lysistr. 81, 86, 206, 885, 889, 983, 988; quid quod idem poeta, morum pictor, Boeotis, qui *ναὶ* pronunciabant *νεὶ*, ipsorum particulam iurativam atque iusiurandum officiose reservavit: *νεὶ τὸν Ἰόλαον* Acharn. 875; *νεὶ τὸ σιώ.* ibid. 913, quamquam neutro loco Dindorfium nactus est conspōnsorem, *Θεῖβαθεν* tamen et *Θεῖβαθι* et alia idiomata contra quorundam librorum manuscriptorum auctoritatem Boeotis remittentem. Quod autem Aristophanes, idem alii quoque fecerunt scriptores aut Attici aut atticissantes, ut Doribus suum cuique morem iurandi tribuerent, sed nemo tamen horum constanter (Cf. Xenoph. Anab. VI. 4. 34; Hellen. IV. 4. 10). Qui autem Doriceus et fuerunt, et scribere se Dorice professi sunt, Pythagorei, bucolici, alii, eos legi supra scriptae testor sexcenties summa fide paruisse, sed ita, ut voculam *μὰ* non prorsus ignoravisse se aut abominatos esse ostenderent. Nam perpauca quidem inveni, sed inveni tamen dorismi neglecti manifesto manifesta exempla: primum ab Epicharmo (apud Diog. Laert. III. c. 12):

*B. Οὐκ ἄρ' ἔμολε πρῶτον οὐδέν. A. Οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον.*

alterum ab eodem (apud Athenaeum XI. c. 1 (Tom. III. p. 350):

*Χορδαί τε ἄδὼν ναὶ μὰ Δία χῶ κωλεός.*

tertium est Pindari Nem. XI. 30: *Ναὶ μὰ γὰρ Ὀρχον* —; quartum denique Theocriti, poetae aliis locis Doricae consuetudinis observantissimi, Idyll. XI. 29:

*Τιν δ' οὐ μέλει, οὐ μὰ Δί' οὐδέν.*

Nam Idyll. XXVII. 35: *Οὐ μὰ αὐτὸν τὸν Πᾶνα.* praetereo, quia haec lectio, etsi Buttmannum (Gramm. Tom. I. p. 126) nacta est patronum (sed *tanquam qui vincere nollet*), meliorum librorum auctoritate pridem explosa est, *Οὐ μὰν, οὐ τὸν Πᾶνα* praebentium. Itemque duo alii loci aut comperti sunt ignoratae vel ementitae Doricae consuetudinis, aut aperto falsi, alter qui temere in Pythagorae dictis refertur, ab alio aliter traditus:

*Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρῳ ψυχῆ παραδόντι τετρακύν;*

alter, qui Philoxeni nomen (nescio cuius) prae se fert, apud Athenaeum IV. c. 28 (Tom. II. p. 76) loco corruptissimo. Etenim postquam, senescente Graecia, in omnium dialectorum colluvione ista discrimina gentium propria sensim evanescere coeperunt et, exsuperante tamen Attica dialecto, multi scribentium, ut testatur scholiastes Aristoph. Nub. 249, unius eruditionis ostentandae gratia *δωρεῖσιν* consueverunt, difficile dictu est, quam saepe ab istis legibus ipsi dicam scriptores an librarii desciverint. Apud Dium quidem Pythagoreum (Stob. Serm. LXV. Tom. II. p. 436 Gaisf. Lips.) quum alia vitiose dicta sunt, tum *νῆ Δία* non Doricum est; sed in *ναὶ Δία* mutare iam religioni duco; itemque Plutarcho in apophthegmatis Dores Dorice loquentes interdum inducenti ab ipsa aetate excusatio parata erit, quod (Tom. I. p. 832, 857, 970 Wytt.) veteres Lacones et Laecenas *νῆ τὸ σιώ, νῆ τοὺς θεοὺς*, vel denique *μὰ τοὺς θεοὺς* — οὐ iurasse scribit. Atque

etiam Callimachi, sicubi *δορίζει*, iuramenta iam sunt refractariola; neque is quem Graefius correctum exhibere sibi visus est, Meleager Gadareus pura ubique habet et, ubi in ceteris partibus Dorice loquitur, antiquorum Doriensium more concepta; quamquam ex magna lectionum varietate enatavit huius Epigr. LXXXVII. init.; XXXII. 3; LXVIII. 1; CVI. init., Suida et Planude et Toupio a Graefii codicibus mire dissentientibus. Itaque Iacobsii coniectura ad Epigr. LXIII. 5 *νῆ Δία* propter adulteratum dorismum admitti non potest, exspectat etiam Posidippi Epigramm. XIII. 8 salubriorem medicinam, quam adhuc expertum est. Suidas vero iam ex iis est, quibus *μά* et *νῆ* idem sonare videatur, v. s. v. *δεῦρο* (quae excerpserit ex scholiis Aristoph. Ran. 1532), tametsi alio loco pariter ac Photius (s. v. *Νῆ τὸν κ.*) *ἐσχάτην ἀκρολογίαν εἶναι τὸ λέγειν μὰ τὸν Δία ποιήσω* confitetur; itemque, quod sane mirere, ipse etiam Gregorius Corinthius (p. 302) ab ingravescente barbarie aliquid traxit vitiositatis, et optimi interdum scriptorum codices contra verissimas leges nituntur, velut Soph. Electr. 1063. 1239. Itaque Epigramma *ἀδέσπ.* CCLXXXIX in Anthologia:

*Μὰ τὸν βοῦθοῖναν Ἡρακλέα, παῖδες ἀγρῶται,*

*Οὐκέτι κεφαλαίοις ἔμβρατα ταῦτα λόγοις.*

quod unus habet Planudes, non dubito, quin, quum una arsi versus syllabam *μά* produci inauditum sit, corrigendum scribendumque sit *Ὁὐ τὸν βοῦθοῖναν κ. τ. λ.* Atque pauca haec attuli exempli causa, ut appareret, saepenumero Atticorum orationi contigisse, ut ceterarum gentium consuetudinem sine pulvere vinceret. Nam in contrariam partem multo rarius offensum est, velut in Machonis versibus Atticis apud Athen. XIII. c. 43:

*Ναὶ τὴν φίλην Δήμητρα, δικαίως τε γὰρ*

*Ἄνθρωπε, φησὶν, ἐξεδάρης ἀκόλαστος ὢν.*

non uno peccato laborantibus, et quod in Putschiano et Krehliano Prisciano (XVIII. §. 291.) invenitur, *νῆ τὴν Κόραν*, nec tamen, quae Lobeckii sententia est ad Phrynich. p. 640, ab ipso Prisciano exsignatum, sed a Putschio praepostere *δορίζειν* volente pro legitimo Atticorum iurando *νῆ τὴν Δήμητρα* importatum; certe scriptum oportuit *ναὶ τὰν Κόραν*.

Ac de forma quidem huiusmodi iuramenti interiectivi satis dictum est, de grammatica autem ratione ac vi istarum formularum maximeque de Atticorum usu ex Platonis, Xenophontis, aliorum dialogis et ex scenicis diverbiis percipiendo seorsum exponam, si prius ceteras iurandi formas et eas deorum testium invocatione non coloratas commemoravero. Etenim ad duas eas partes, quibus ipsa per se vis ac natura iurandi continetur, rei asseverationem et deorum testationem, apud antiquos nonnunquam tertia pars accessit, ut is, qui iuraret, si falleret, diras res sibi ipse imprecaretur. Quid quod Plutarchus (Quaest. Rom. 44) auctor est, quodvis ita finiri solitum iuramentum (*Πᾶς ὄρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιτοκίας*). Quod quidem etsi ille de Romanis potius et de rite patrandis apud magistratus imperatoresque sacramentis videtur dixisse, tamen Graecos quoque, ut publice iurantes, si peierassent, ad gravissima supplicia et extremam perniciem se devovebant (velut Solonis lege Heliastae: *Ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἑμαντιῶ καὶ οἰκία τῆ ἑμαντοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνομι, εὐορκοῦντι δὲ καλὰ πολλὰ κάγαθὰ εἶναι*. Cf. An. docid. de myster. c. 31.) et similiter senatores atque testes publicarum privatarumque causarum, ac vel universus populus Atticus expulsis triginta tyrannis. cf. Sam. Petit. de legg. Att. pag. 398, 272, 316), ita in privata vita hoc deierandi genere fidem adstrinxisse satis constat, quamquam rarius quidem quam ceteris formulis, ut in re tristi et male ominata, neque aliter, nisi vehementiore animi impetu ferventes; nam in leniore animorum affectu eos iurandanda mutuo dantes neque

exegisse execrationem neque commemorasse video (Lucian. Toxar. c. 11. 12. 38). Tale igitur iusiurandum atque tribus partibus compositum, asseveratione, deorum testium invocatione, sui execratione, est Agamemnonis concitatore animo iurantis (Iliad. XIX. 258 — 265):

Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν ὑπατος καὶ ἀριστος,  
Γῆ τε καὶ Ἥλιος καὶ Ἐριννύες, αἰθ' ὑπὸ γαίαν  
Ἀνθρώπους τίννται, ὅτις κ' ἐπίορχον ὁμόσση,  
Μὴ μὲν ἐγὼ κούρη Βορσιγίδι χεῖρ' ἐπενείκαι,  
Οὐτ' ἐδνῆς πρόφασιν κερχημένος, οὔτε τευ ἄλλου·  
Ἄλλ' ἔμεν' ἀπροτίμαστος ἐνὶ κλισίῃσιν ἐμῆσιν.  
Εἰ δέ τι τῶνδ' ἐπίορχον, ἐμοὶ θεοὶ ἄλγσα δοῖτεν  
Πολλὰ μάλ', ὅσσα διδοῦσιν, ὅτις σφ' ἀλίτῃται ὁμόσσαις.

et apud Euripidem (Med. 728 — 738) regis Aegaei, verba praeunte Medea:

Med. Ὅμνυ πέδον γῆς, πατέρα δ' Ἥλιον πατρός

Τοῦμοῦ, θεῶν τε συντιθεῖς ἅπαν γένος.

Aeg. Τί χρῆμα δράσειν, ἢ τί μὴ δράσειν, λέγε.

Med. Μήτ' αὐτὸς ἐκ γῆς σῆς ἐμὴ ἐκβαλεῖν ποτε,

Μήτ' ἄλλος ἦν τις τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν ἄγειν

Χρηζῆ, μεθήσειν ζῶν ἐκουσίῳ τρόπῳ.

Aeg. Ὅμνυμι Γαίαν, λαμπρὸν Ἥλιον τε φῶς

Θεοὺς τε πάντας, ἐμμενεῖν, ἃ σον κλύω.

Med. Ἀρχεῖ. τί δ' ὄρκῳ τῶδε μὴ ῥυμένων πάθοις;

Aeg. Ἄ τοῖσι δυσεβοῦσι γίγνεται βροτῶν.

Ac simile iusiurandum data etiam dextra solemne adigit Hyllum filium Hercules apud Sophoclem (Trachin. 1149 — 1158) et Iphigeniam Pylademque Orestes apud Euripidem (Iphig. Taur. 725 — 734), quibuscum propter aliquam similitudinem conferri possunt Eurip. Hippolyt. 1028 sqq. et Aristoph. Lysistr. 211 sqq.; nec alius tenoris sunt sed in brevius contracta, quae apud Sophoclem (Oed. R. 660) Chorus Oedipodi ab illo sibi insidias parari suspicanti ad diluendam suspicionem ita respondet:

Οὐ τὸν πάντων θεῶν θεὸν πρόμον Ἄλιον·

Ἐπεὶ ἄθεος, ἄφιλος, ὅ,τι πύματον

Ἵλοίμαν, φρόνασιν εἰ τάνδ' ἔχω.

et quae Theocrit. V. 14 — 16 leguntur ex Sybaritae pastoris persona furti crimen redarguentis:

Οὐ μὰν, οὐ τὸν Πᾶνα τὸν ἄκτιον, οὐ σέ γε Λάκων

Τὰν βαίταν ἀπέδυσ' ὁ Καλαίδιδος· ἢ κατὰ τήνας

Τὰς πέτρας, ὠνθρωπε, μανεις εἰς Κραῖδιν ἄλοίμαν.

Quid quod in eiusmodi detestationibus et diris votis robur iurisiurandi inesse et firmamentum videtur adeoque plus valere quam ipsa deorum testatio. Iurat per Cererem (Aristoph. Vesp. 649) Philocleo, timeri se a Bdelycleone filio; ipsum vero ab omni metu illius longe abesse, ita affirmat, ut se ipse exsecretur itaque illi persuadeat:

Καὶ σὺ δέδοικάς με μάλιστα αὐτός·

Νῆ τῆν Δήμητρα δέδοικας· ἐγὼ δ' ἀπολοίμην, εἴ σε δέδοικα.

in quibus verba *ἐγὼ δ' ἀπολοίμην*, clarum est, et propter additum pronomen et propter particulam adversativam multo fortiora et esse et existimari, quam tritum quotidiano usu per Cererem iusiurandum. Eamque perantiquam fuisse hominum opinionem, plus roboris ac fidei in execratione quam in concepto per deos iureiurando esse, testatum facit apud Homerum Ulixes, qui in Ithacam redux factus, sed is mendici personam praeferens, quum Eumaeo subulco persuasurus sit, propediem domum rediturum Ulixem, quia ille saepius iam talium errorum et planorum mendicantium officiosis nunciis deceptus illi diffidit nec verius illud esse credit, quam quae multos alios sibi de domini sui reditu brevi futuro simulate nunciasset ait, ipse rem se comprobaturum esse sancto iureiurando spondet hoc modo:

ὦ φίλ', ἐπειδὴ πάμπαν ἀναίνεαι, οὐδέ τι φῆσθα  
 Κεῖνον ἐλεύσεσθαι, θυμὸς δέ τοι αἰὲν ἄπιστος·  
 Ἄλλ' ἐγὼ οὐκ αὐτως μνησέομαι, ἀλλὰ σὺν ὄρκῳ,  
 Ὡς νεῖται Ὀδυσσεύς. Od. XIV. 149 sqq.

quae praefatus fide et religione deorum interposita iusiurandum solemniter patrat v. 158 — 164. At ille, tantum abest, ut iurisiurandi sanctitate victus ad credendum inducatur, ut tum denique ad fidem habendam magis inclinet nec iam mendacii alterum insimulet, postquam homo personatus, diffidentem et suspiciosum illius animum esse conquestus

(Οἶόν σ' οὐδ' ὁμόσας περ ἐπήγαγον, οὐδέ σε πείθω. v. 392.),

quo omnia tolleret dubia diffidentiaque illum liberaret, proposita sponsione et stipulatione, ni Ulixes vivus vidensque mox domum rediturus esset, tristissimo exemplo perire ac morte acerbissima, paratum se esse professus est (v. 398 — 400) eiusque devotionis testes iterum deos citavit. Itaque, quum tanta vis ad fidem faciendam in execratione esse crederetur, ea una et erat saepe et appellabatur *ὄρκος* isque sanctissimus, ut deorum testium invocatio ab iis, quorum res agebatur, non postularetur aut desideraretur. Aristoph. Ran. 594 — 597:

Dionys. Ἄλλ' ἦν σε τοῦ λοιποῦ ποτ' ἀφέλωμαι χρόνον,  
 Προῦρίζος αὐτὸς ἢ γυνή, τὰ παιδία  
 Κάκιστ' ἀπολοίμην . . . .

Xanth. Λέχομαι τὸν ὄρκον.

Eodemque modo apud Sophoclem Philoct. 589. 619 Ulixes *διώμοτος* et *ὁμόσαι* dicitur propterea quod, ni Philoctetam aut sua sponte sequentem, aut vi coactum Troiam deduxisset, ad subeundum summum supplicium se fore paratum ostenderat:

(v. 615) τοῦτων, κάρα

Τέμνειν ἐφεῖτο τῷ φέλοντι, μὴ τυχόν.

Creon vero, ab Oedipode affectati regni accusatus, quum ab eiusmodi consiliis et insidiis multum se abhorrere dixisset hoc modo (Oed. R. 643):

Μὴ νῦν ἀναίμην, ἀλλ' ἀραῖος, εἰ σέ τι  
 Λέθρακ', ὀλοίμην, ὦν ἐπαιτιᾶ με δρᾶν.

a choro v. 652 appellatur *ὁ ἐν ὄρκῳ μέγας*. Ergo, quin una sui detestatio Graecis iustorum in genere iuramentorum fuerit, nemo est, qui dubitare possit, quot autem modi illis fuerint sui

detestandi, qui quaerat,

Libyci velit aequoris idem

Discere quam multae Zephyro turbentur arenae.

Sed in maxima tamen multitudine formularum et pro sua cuiusque fortuna et conditione varia (velut Pyladae peregrinanti nihil aptius esse potest, quam *ἄνοστος εἶην*, Iphigeniae ad larem suum Tauris reverti cupienti, quam *μὴ ποιε κατ' Ἄργος ζῶσ' ἕχρος θείην ποδός*. Eur. Iph. Taur. 734. 735. Seidl.) omnium frequentissimum est et quasi tralaticium, ut, si fallant, morte se periurii poenam luituros spondeant idque aut simpliciter, aut adhibita quadam verborum specie atque pompa edisserant:

*Κάκιστ' ἀπολοίμην, Ξανθίαν εἰ μὴ φιλω*. Aristoph. Ran. 587; Acharn. 151. 483.

*Καὶ τοῦτ' ἴσθ', ὅτι*

*Θήσω πρηναντ', ἢ μηκέτι ζώην ἔτι*. Aristoph. Nubb. 1245.

*Καὶ σ' ἐπιδείξω νῆ τὴν Δήμητ', ἢ μὴ ζώην*. Aristoph. Eqq. 843.

*Ἐγὼν ἐμέθεν περιδώσομαι αὐτῆς,*

*Αἰ κέν σ' ἐξαπάσσω, κτεῖναί μ' οἰκτίστῳ ὀλέθρῳ*. Hom. Od. XXIII. 78.

*Αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φῶς,*

*Εἰ μὴ ἐγὼ τάδε τόξα φασίνω ἐν πυρὶ θείην,*

*Χερσὶ διακλάσσας*. Sic Pandarus iurat Il. V. 214, quod hostem ferire isto arcu bis tentaverit frustra; nec multo aliter Ulixes personatus Od. XVI. 102.

*Ἦν μὴ φράσω γε, κατθανεῖν ὑφίσταμαι*. Eurip. Ion. 1430.

*Εἰ μὴ λέγω τάληθές, ἀξιῶ θανεῖν*. Sophocl. Oed. R. 944.

*Κάν γε μὴ λέξω δίκαια, μήτε τῷ πλήθει δοκῶ,*

*Ἵπερ ἐπιξήρου θελήσω τὴν κεφαλὴν ἔχων λέγειν*. Arist. Acharn. 318.

*Καὶ μὴν νῆ Δία,*

*Εἰ πάποτ' ἦλθον δεῦρ', ἐθέλω τεθνηκέναι,*

*Ἦ κλεψα τῶν σῶν ἄξιόν τι καὶ τριχός*. Aristoph. Ran. 627.

similiterque ipse ille, qui etiam atque etiam a iurando dehortatur, Theognis 849 sqq.

*Ἐν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανός εὐρύς ὑπερθε*

*Χάλκεος, ἀνθρώπων δαίμα παλαιγενέων,*

*Εἰ μὴ ἐγὼ τοῖσιν μὲν ἐπαρκέσω, οἱ με φιλεῖσι. —*

*Μήθ' αἰμά μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον,*

*Μὴ λαμπρὸς αἰθῆρ, εἰ σ' ἐγὼ προδοῖς ποτε*

*Ἐλευθερώσας τοῦμὸν, ἀπολίποιμί σε*. Eurip. Orest. 984. Pors.

Sponte apparet, quam aptum id genus iurandi sit minantibus, cuius generis ex multis pauca apponam exempla, unum Homeri Ulixem inducentis Thersitae sic minitantem:

*Εἰ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κηήσομαι, ὡς νύ περ ὄδε,*

*Μηκέτ' ἔπειτ' Ὀδυσῆϊ κάρη ἄμοισιν ἐπέιη,*

*Μηδ' ἔτι Τηλεμάχοιο πατὴρ κελημένος εἶην,*

*Εἰ μὴ ἐγὼ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἴματα δέσω,*

*Χλαϊνάν τ' ἡδὲ χιτῶνα, τὰ τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει,*

*Αὐτὸν δὲ κλαίοντα θεὰς ἐπὶ νῆας ἀφῆσα  
Πεπληγὸς ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῆσιν. Π. Π. 258 — 264.*

alterum Euripidis Orest. 1145:

*Μὴ γὰρ οὖν ζῶην ἔτι,  
Εἰ μὴ ᾗ κείνη φάσγανον σπάσω μέλαν.*

tertium Aristophanis Eqq. 702:

*Εἰ μὴ σ' ἀπολέσαιμι, εἴ τι τῶν αὐτῶν ἐμοὶ  
Ψευδῶν ἐνείη, διαπέσοιμι πανταχῆ. Cf. ib. 706: οὐδέποτε βιώσομαι.*

In iocum distorta est res gravissima Polliano (Epigr. III.):

*Εἰ μὴ χαίρω, Φλώρε, γενοίμην δάκτυλος ἢ ποῦς  
Εἷς τῶν σῶν τούτων τῶν κατατεινομένων.  
Χαίρω, νῆ τὸν κλῆρον, ὃν εὐκλήρησας ἐν ἄθλοις. κ. τ. λ.*

et ab Alexide (ap. Athen. VIII. c. 24):

*Εἴ τινας μᾶλλον φιλοῦ  
Ξένους ἑτέρους ἡμῶν, γενοίμην ἔγγελης,  
Ἵνα Καλλιμέδων ὁ Κάραβος πρίαιτό με.*

Sed de execrationibus hactenus.

Restat quartum genus iuramentorum, in comparatione aliqua positum, cuius et species multiplex est, et vis omnium longissime patens. Namque quum nemo mortalium tantam habeat apud omnes fidem, ut, quam certa et fixa sint quae dicat, alteri vel invito et credere nolenti persuadere possit: quum omnes populi atque nostrates ipsi, tum Graeci tam validam ad conciliandam obtinendamque fidem iurandi formulam tamque nervosam invenerunt, ut, quantopere aliquid verum esset et ut nullo modo addubitari posset, certe ex proposita aliqua ab iurantibus similitudine et imagine earum rerum cognosceretur, quas veras esse ad unum omnes intelligerent, aut facile et toto pectore, ut dicitur, concederent. Nam per deos periurii vindices si quid a veteribus iuratum erat, poterant sane tale iusiurandum non dicam Protagorae aut Diagorae, sed multi etiam alii iique sapientissimi homines et verioris religionis cultores in dubium vocare, quod non essent dii, certe non ii essent, per quos iuratum esset; poterant, quod parum reverenter abs quovis homuncione dii immortales cuiuslibet rei ac futilis saepe et obscoenae testes et vindices citarentur; poterant, quod, ut volebant Epicurei, non curarent dii res humanas; poterant denique illa iuramenta calumniari multis aliis de causis. Et magis etiam ceterae iurationes ac vel ipsae execrationes ad dubia et diffidentiam patebant. At vero propositum per certissimae alicuius rei minimeque suspectae comparationem iusiurandum addubitare et rodere maligne, impii et periuri necesse erat videri, et qui aut nihil verum esse crederet aut paene hominem ex homine exuisset. In quo vel maxime valebat illud Antiphonis Carystii (Stob. Serm. XXVII.):

*Ὅταν τις ὀμνύοντος καταφρονῆ,  
Ὅτι μὴ ξύνοιδε πρότερον ἐπιωρηκόντι,  
Ὅτιος καταφρονεῖν τῶν θεῶν ἐμοὶ δοκεῖ  
Καὶ πρότερον ὀμύσας αὐτὸς ἐπιωρηκέναι.*

Quis unquam apud veteres dubitabat, quin suos quisque liberos carissimos haberet (cf. Eurip. Ion. 1424; Liv. I. 9; Spanhem. ad Aristoph. Ran. 595.) sui que superstites vellet esse? Ergo nihil sanctius a parentibus iurari potuit, quam quod mulier, quae mater erat liberorum, ut quam planissime odium suum in hominem venereum et libidinosum evomeret, iuravit Aristoph. Thesm. 475:

*Καὐτὴ γὰρ ἔγωγ', οὕτως δ'οναίμην τῶν τέκνων,  
Μισῶ τὸν ἄνδρ' ἐκείνον, εἰ μὴ μαίνομαι.*

atque similiter pater (Lucian. Philopseud. c. 27): *Οὕτως δ'οναίμην τούτων τῶν νύκτων (ἐπιβαλὼν αὐτοῖν τὴν χεῖρα), ὡς ἀληθῆ, ὃ Τυχιάδῃ, πρὸς σε ἐρῶ.* aut quod in eandem sententiam matrem eamque servam filio dicentem facit Xenarchus (apud Athen. X. c. 56. Tom. IV. p. 113):

*Οὕτως \*) ἐμοὶ γένοιτο, σοῦ ζώσης, τέκνον,  
Ἐλεύθερον πιούσαν οἶνον ἀποθανεῖν, —*

quod quidem a matre dicitur sic apud Terentium (Heauf. V. 4. 7):

Ita mihi atque huic (id est nobis parentibus) sis superstes, ut ex me atque hoc natus es. ac paene pariter a Seneca (Controvers. IX. 4): Ita oculos meos filii manus operiant, ut ego inter liberos meos fortiter steti. — Quid vero Athenis poetae scenico optabilis fuit aut expetitur ardentius, quam ut plausu impertiretur spectantium vinceretque in ludorum commissione competitors? Ergo gravissime iurasse existimandus est Aristophanes in parabasi Nubb. 520 sqq.

*Οὕτω νικήσαιμι τ' ἐγὼ, καὶ νομιζοίμην σοφός,  
Ὡς ὑμᾶς ἠγοούμενος εἶναι θεατὰς δεξιούς,  
Καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν  
Πρώτως, ἤξιωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἢ παρέσχε μοι  
Ἔργον πλεῖστον.*

itemque mulier amica ab amatore immerito insimulata perfidiae factum ipsi crimen pergraviter amolitur hoc iureiurando, tutelaribus insuper deae religione sacrosancto Aristaenet. II. c. 13: *Οὕτως ἔλεως εἶη μοι Ἀφροδίτῃ, ὅσον ἡμῶν ἐκδεδήμηκας χρόνον, τὸν ἐρῶντα βεβαίως ἀνεπίληστον ἀεὶ διετήροιν.*

Talia igitur iuramenta ideo videbantur incorruptam fidem habere, quod res iurata per comparisonem cum eo voto iurantium componebatur, quo quin illi potiri ardentissime cuperent, ne minimum quidem relinqueretur dubii, eamque ipsam ob causam, quum tanta vis esset huiusmodi iuramentorum, Romani quoque non aliis iurandi formulis frequentius uti consueverunt, quam quae

\*) Illud *Οὕτως*, quod in libris editis non legitur, ego ex coniectura addidi gravissimis causis commotus. Quum enim integer Athenaei locus sic se habeat: *Ὁὐκ ἀχαρίστως δὲ καὶ ὁ Ξεναρχος ἐν τῷ Πεντάθλῳ γυναικὰ τινα εἰσάγει φοικτότατον ὄρκον ὀμνύουσαν τόνδε· ἐμοὶ γένοιτο κ. τ. λ.*, quoniam in Xenarchi verbis iusiurandum et quidem gravissimum inesse oportet, solus autem Optativus simpliciter optantis, non iurantis est, ipsius lex grammaticae illud *Οὕτως* Optativo praeponi iubet. Atque auctorem corruptionis videor mihi deprehendisse scribam, qui quum in manuscripto libro . . . ὄρκον ὀμνύουσαν τόνδε οὕτως ἐμοὶ γένοιτο . . . invenisset, intolerabilem pleonasmum et mendum odoratus, parum cogitate id resecurit atque omisit, quod alienum esse putabat. Accedit quod revocata demum iurativa particula *Οὕτως* versus expletur ac restituitur senarius.

comparativis particulis Ita — ut (rarius Sic — ut, quali quidem optationi proprius locus est in obtestationibus et precationibus) compositae essent. Sed de Romanis alio die; nunc ad Graecos redeo. Eam igitur iurandi formulam, qua de agitur, Homero ignotam nec unquam in publicum et forensem usum receptam primum invenio Hymn. Hom. III. 379, ubi Mercurius furti reus sic fingitur apud Jovem causam dicens:

Ὡς οὐκ οἶκαδ' ἔλασσα βόας, ὡς ὄλβιος εἶην,  
Οὐδ' ὑπὲρ οὐδὸν ἔβην· τόδε δ' ἀγορεύω.

Nam quae paucae apud Homerum inveniuntur optationes comparatione coniunctae, velut Hectoris (II. VIII. 539 sqq.)

Εἰ γὰρ ἐγὼν ὧς  
Εἶην ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα,  
Τιοίμην δ', ὡς τίει' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων,  
Ὡς νῦν ἡμέρη ἦδε κακὸν φέρει Ἀργείοισιν.

et plenius etiam II. XIII. 825 sqq.:

Εἰ γὰρ ἐγὼν οὕτω γε Διὸς παῖς αἰγιόχοιο  
Εἶην ἤματα πάντα, τέκοι δέ με πότνια Ἥρη,  
Τιοίμην δ', ὡς τίει' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων,  
Ὡς νῦν ἡμέρη ἦδε κακὸν φέρει Ἀργείοισιν  
Πᾶσι μάλ', ἐν δὲ σὺ τοῖσι περήσειαι. κ. τ. λ.

plena illae quidem sunt confidentiae, sed iurisiurandi fidem non praestant, propterea quod talia vota avide et sitienter aliquid optantium non sunt eventum habitura, neque communiter probantur cunctis. Sin autem non ex voti similitudine, sed ex factae alicuius rei et quidem satis omnibus exploratae ac testatissimae fides repetitur, tales formulae, ut loci illi Homericus, ita ipsae aliqua conditionali particula (εἰ, εἴπερ, αἶ γε, aliis) insignes merito iuramentorum instar habere videbuntur. Sunt enim non tam conditionem proponentis aut rationem concludentis (neque enim cogitari aut fieri potest contrarium), sed gravi cum affectu et comparative asseverantis. Oedipus quidem obcoecatus et gravissimas aerumnas erroresque perpessus, quum Pythius Apollo cecinisset, quo loco homo calamitosus sepulcri requiem invenisset, eo Thebanos cladem accepturos crudelitatisque in illo admissae poenas daturus esse, postquam Athenas ad Furiarum lucum accessit, eo ipso loco oraculum eventurum esse Theseo regi exponit hoc modo (Sophocl. Oed. Col. 621—23):

Ἴν' ὀδυρὸς εὔδων καὶ κεκρυμμένος νέκυσ  
Ψυχρὸς ποτ' ἀντῶν θερμὸν αἶμα πίεται,  
Εἰ Ζεὺς ἔτι Ζεὺς χῶ Διὸς Φοῖβος σαφής.

similique modo paulo post (626):

Οὐ ποτ' Οἰδίπουν ἐρεῖς  
Ἀχρεῖον οἰκητῆρα δέξασθαι τόπων  
Τῶν ἐνθάδ', εἴπερ μὴ θεοὶ ψεύσουσί με.

quibus vocibus usus non ratiocinatur Oedipus, quasi possit id fieri, ut Iuppiter desinat esse Iuppiter, aut ut Apollo vates unquam sit minus veridicus, sed hoc dicit, ut verissimum sit (nostrates dicunt so wahr), Iovem aeterna esse omnium rerum potestate, Apollinis vero sortes ab omni



fallacia esse alienas, *ita sine dubio fore*, ut et Thebani ad ipsius tumulum funesta clade afficiantur, et Theseus non inutilem habitatorem sed tutelarem potius praesidem terrae Atticae obtigisse confiteatur. Itemque Orestes post diutinam peregrinationem Argos reversus Electrae sorori ipsum ignoranti et Delphis mortuum esse opinanti sic se agnoscendum dat, ut dubitanter quaerenti

Ἡ ζῆ γὰρ ἀνήρ;

respondeat affirmative

*Εἶπερ ἔμψυχός γ' ἐγώ.* (Sophocl. El. 1221), quod vertes patrio sermone *So wahr ich selbst am Leben bin*; estque hoc genus formularum satis crebri usus (cf. Antigon. 304; Oed. Col. 1380—82), neque deest Homero, apud quem rex Alcinous, postquam Arete regina Ulixi hospiti denuo larga munera a regulis Ithacensibus conferri iussit, id ratum fore spondet (Od. XI. 347) sic:

Τοῦτο μὲν οὕτω δὴ ἔσται ἔπος, αἶ κεν ἔγωγε  
Ζωὸς Φαίηκεσσι φιληρέτμοισιν ἀνάσσω.

Dixi de duplici genere formularum, quod, etsi ipsarum rerum comparatione vis iurisiurandi continebatur, utrumque tamen nota aliqua et signo conspicuum (*οὕτως, ὡς, εἶπερ, ἐὰν* —) deorum vero religione non necessario ornatum esset, sed modo si libuisset iurantibus, id quod factum vidimus in Aristaeneti et Sophoclis exemplis. Sed earum quoque formularum, quae carent tali comparationis indicio, maxime quae aut verbo *ῥυνημι* aut iurativis particulis consignatae sunt, non semel vis omnis et adigendi potestas non aliunde nascitur, nisi ex rerum votorumve comparatione et similitudine: hoc dico, *ῥυνημι τοὺς θεούς, νῆ τοὺς θεούς* non solum deos testes adhibeo sive testor valent, sed possunt eadem formulae id significare, quod fere solemniter Latini dicunt in deierando, Ita me di ament, amabunt, servent, iuvent, ita diis placeam (Terent. Adelph. IV. 7. 31; Hecyr. I. 2. 31; Phorm. V. 3. 24; Catull. LXI. 196; LXVII. 9), quod ipsum Graeci iuramentis per deos conceptis addunt interdum, velut Theocrit. V. 17:

Ὅ μὲν, οὐ ταύτας τὰς λιμνάδας, ὦ γὰρ θεῖ, Νύμφας,  
Αἶ τ' ἐμὴν Ἰλαοὶ τε καὶ εὐμενέες τελέθειεν.

aut iis indicant, quae cetera iuramentis addi supra (p. 6) exposui, possunt denique, si quaeris, significare, aliquid tam verum esse, ut verissimum sit, esse deos vel praesentes esse, id quod nostrates dicunt *So wahr Gott lebt*. Ut igitur in his omnibus comparationis vis apparet, ita, si iurandi formulae deorum nomina non habent, qui a iurantibus vel testes iurisiurandi vel ultores periurii provocari videantur, sed si naturas rationis expertes continent vel res inanimas vel eas notiones, quae cogitari modo possint, sensibus percipi non possint, profecto non aliam vim eiusmodi formulis subiectam putabimus, nisi a comparatione profectam. Quid enim? Si apud Homerum (Il. I. 234) Achilles Agamemnoni iratus per sceptrum iurat suum, idque iuramentum his *μέγαν ὄρκον* appellans, fore se propediem in summo cunctorum Achaeorum desiderio, timendumne ille sibi putat, ne, si forte sine ipsius opera Graeci Troiam urbem capiant, a sceptro illo iurativo aliqua ipsi impendeat poena atque vindicta? aut ille apud Sophoclem (Schol. Eurip. Hippol. 309) ab adversarii sui ignavia, per quam illum poeta induxit iurantem:

Μὰ τὴν ἐκείνου δειλίαν, ἣ βόσκειται  
Θῆλυς μὲν αὐτὸς, ἄρσενας δ' ἐχθροὺς ἔχων·?

Scilicet neutra res quidquam in se habuit divini aut reformidabilis, vis vero iurisiurandi, et ea permagna, cernebatur in rerum contentione. Nam quod Achilles iurisiurando illi

*Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον*, haec addit:

*τὸ μὲν οὐποτε φύλλα καὶ ὄζους*

*Φύσει, ἐπειδὴ πρώτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,*

*Οὐδ' ἀναδηλῆσει· περὶ γάρ ἡά ἐ χαλκὸς ἔλεψεν*

*Φύλλα τε καὶ φλοῖόν· νῦν αὐτὲ μιν νῆες Ἀχαιῶν*

*Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οὔτε θέμιστας*

*Πρὸς Αἰὸς ἐδράσται· ὁ δέ τοι μέγας ἔσσειται ὄρκος·*

*Ἦ ποτ' Ἀχιλλῆος ποδῆ ἴξεται νῆας Ἀχαιῶν*

*Σύμπαντας· κ. τ. λ.*

graviter et affirmate hoc ille dicere putandus est: Desideratissimum me olim fore cunctis Achaeis, ita verum fixumque est, ut verissimum est, illud sceptrum, quod postquam semel a trunco arboris divulgum et dedolatum expolitumque est; regum et iudicum manibus gestatur, nullo unquam tempore repullulaturum esse aut frondes denuo germinaturum. Quamobrem ego, quum in eius naturalis rei certa et explorata ratione ipsius iuramenti vis ac robur situm esse videatur, vehementer dissentio cum ab Eustathio de sceptri iurativi ratione mirifice fluctuante, tum vero a Plutarcho (De poesi Homeri c. 31), omnia ea, quae post formulam *ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον* leguntur, parembolen a re praesenti paene alienam iudicanti et vim pondusque comparativi iurisiurandi non sentienti. Itemque ille apud Sophoclem, quidquid iuravit (nam certo non constat id ex illo, quod solum superest, fragmento), sed id tam certum esse, vel ita certe eventurum esse dixit, ut certissimum esset, alterum (*ἐκεῖνον*) muliebri animo et ignavo diffuere, adversarios autem habere fortissimos. Quodsi ipsos deos Graeci in his interiectivis iuramentis saepe non maiorem auctoritatem obtinere voluerunt, quam ut esse eos dicerent, atque quam illi vere essent et sua quisque natura ac numine essent, tam veram eam rem esse, quam ab altero credi volebant, ut Demosthenes quidem, quum in publica concione *μὰ τὸν Ἀσκλήπιον* iuravisset, ob id reprehensus, et ipsum iurandum et vitiatum tonorem satis defendisse sibi visus est, quod deum illum *ἦπιον* esse diceret (Plutarch. Vit. dec. orator. c. 8): facile intelligitur, hoc quidem modo Graecos, divinorum iuramentorum sanctitatem, praesertim in re levicula, reverentes nec minus tamen graviter affirmantes quum per quamlibet rem vel animantem vel inanimam et proximam quamque iurare potuisse, tum per summas rerum notiones animo consignatas et cogitatione comprehensas, quae quidem omnia quanta essent iurantibus dignitate et honore, aut sponte patebat et ex totius orationis perpetuitate cernebatur, aut nominatim ipsi saepenumero quibusdam additamentis maximeque epithetis adiectis significabant. Quo ex genere supra non pauca exempla allata sunt. Quod igitur sapientissimi regis et aequissimi iudicis Rhadamanthi (schol. Aristoph. Avv. 521) auctoritatem secuti aut Socrates aliique et philosophi et medici (Plutarch. Symposiac. III. c. 1) et Lampo vates modo serio modo iocose per Canem, per Anserem, per Gallum, per Arietem, per Platanum iurabant (schol. Platon. Apolog. c. 7), aut Zeno Citieus et Teleclides aliique poetae per Capparim, Cramben, Olera (Athen. IX. c. 9), alii per Papaveris herbam virescentem (Suid. s. v. *ναὶ καὶ μὰ*), Eupolis autem per Amygdalam (Athen. II. c. 40), haec et id genus alia iuramenta (schol. Aristoph. Nubb. 663) in impietatis suspicionem et crimen venire non potuerunt, sed aut per superstitionis (*δεισι-*

δαίμονίας) consuetudinem fusa esse et per imaginem et comparisonem, quam vere *essent* illae res, tam verum esse id quod asseveratum erat, plenius et fortius contestari existimabantur, aut, quod quaesivisse iuratores interdum videntur, ridebantur tanquam iocularia et lepidorum hominum commenta, quo in genere etiam illa sunt, quae philosophorum irrisor Aristophanes finxit, *μὰ τὴν Ἀναπνοήν, μὰ τὸ Χάος, μὰ τὸν Ἄερα, μὰ τὴν Ὀμίχλην* (Nubb. 629. 816). Quae quum ita sint, in cassum mihi et invito ipso Socrate laborare videar, si ad excusanda talia iuramenta, quanta in illis animantibus et rebus divinitas Graecis fuerit, demonstratum eam; nam divini quid et per se reverendi in illis non necesse erat inesse, tametsi nihil impediabat, quominus videretur inesse audientibus atque adeo aliis hominibus et peregrinis gentibus, velut in Canem propter Anubidis Aegyptii et Sirii et ipsius Cerberi quandam divinitatem (Plat. Gorg. c. 37; Lucian. Vitar. auct. c. 16), in Anserem *ὡς μαντικῶ ὄρνεθ* (schol. Aristoph. Avv. 521), sed ne ista quidem quasi divinitas iurantibus semper obversabatur, neque efficiebat, ut fides sanctior et testatior esset, sed idem illud, quod in ceteris formulis, ut oratio esset incitatio et plenior confidentiae. Ad quod ne cuiuslibet causae ipsi dii immortales testes excitarentur, (id quod vulgus faciebat,) elegantiores et doctiores homines istiusmodi utebantur iuramentis communi saepe iurandi consuetudine ortis et ad libidinem excogitatis, sed de causa istarum rerum in testimonium assumptarum non argutandum neque subtiliter disserendum est. Similiter Scythis quidem moris erat per acinacem iurare, *ὅτι ἀποθνήσκειν ποιεῖ* (Lucian. Toxar. c. 38); ergo lepide et satis recte Mnesippus, homo argutulus, eodem modo per Telum, per Lanceam, per Cicutam, per Suspendium aliaque mortis accelerandae instrumenta iurari posse contendit. Itemque Socratis res iurativas, Canem, Anserem, Platanum, sive ab una Rhadamanthi imitatione profectas (Porphyr. de abstinent. p. 119), sive ab ipsius ironia et propenso in iocum animo, quae est Weiskii sententia ad Xenoph. Apolog. 24., hoc certe constat, non deas ipsi visas esse neque divinae naturae. Testis est Philostratus, qui (Apollon. Tyan. VI. c. 9) *Σωκράτης θεός, inquit, καὶ ἀτεχνῶς σοφός· ἄμυν γὰρ ταῦτα, οὐχ ὡς θεός, ἀλλ' ἵνα μὴ θεός δυνή, cumque in gravissimis Socratis criminibus fuisset, quod novos deos induceret more publico non receptos, nemo tamen accusatorum ista iurativa quasi numina illi obiecit et exprobravit, contraque Xenophon eum sic induxit apud iudices causam dicentem: Οὔτε ἔγωγε ἀντὶ Διὸς καὶ Ἥρας καὶ τῶν σὺν τούτοις θεῶν οὔτε θύων τισὶ καινοῖς δαίμοσιν, οὔτε ὄρνυς, οὔτε νομίζων ἄλλους θεούς ἀναπέφηνα* (Apolog. c. 24). Idem de ceterorum hominum talibus iuramentis iudicandum erit. Sed mos tamen communis et decus et ipse iurantium affectus obtinuerunt, ut in comparativo iureiurando vel homines vel res commemorarentur non sancti illi quidem aut deorum honoribus colendi, sed tamen quasi sancti aut aliqua laude commendati et gratiosi. Gravissime et ad causam suam apposite Demosthenes (p. coron. c. 208) *Μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχῆσαντας καὶ τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίᾳ καὶ πολλοὺς ἑτέρους τοὺς ἐν τοῖς δημοσίοις μνήμασι κειμένους ἀγαθούς ἀνδρας, οὓς ἅπαντας ὁμοίως ἢ πόλις τῆς ἀντὶς ἀξιώσασα τιμῆς ἔδωκεν κ. τ. λ.*, quod iusiurandum licet a quibusdam irrisum (Athen. IX. c. 25. Tom. III. p. 403; Tull. Gemin. Epigr. V. 5 in Antholog.) saniores et prudentiores scriptores summis extulerunt laudibus (Plutarch. Bello an pace clariores Athen. c. 8; Longin. c. 16); graviter etiam, quamquam oratione ipsa recentioris aetatis esse convincitur, scriptor epigrammatis *ἀδεσπ. CDXCIX. 4: Οὐ μὰ σε ταῦτ' ἐχρῆν, σεμνὲ ποιητὰ, φρονεῖν*. Homerum alloquens; contra amatorium est Meleagr. Epigr. IX. 3: *Ναὶ μὰ τὸν ἄβρὸν ἔφηβον*, et Macedon. Consul. Epigr. XII. 1: *Οὐ μὰ σε, κόρη*.

et Pauli Silentiar. XXIV. 4: *Ναὶ μά σε.* Iam, ut ad res veniam iurativas easque inanimas, graviter iurat Antígona (Eurip. Phoeniss. 1671) per gladium et ferrum, quo se effecturam sperat, ut, Haemone a se interfecto, ipsa ab invisio matrimonio liberetur; sed paene ridicule, ita tamen, ut comparatio et vis pateat iuramenti, Callimachus in Hecale:

*Ναὶ μά τὸ ξικνόν*

*Σῦφαρ ξικνόν, καὶ τοῦτο τὸ δένδρον, αὔρον ἐόν περ.* (Suid. s. v. *Ναὶ μά.*)  
Saepe in talibus temporum est mentio: *Νῆ τὴν ἐπιούσαν ἡμέραν* (Aristoph. Eccles. 105) hoc est: *Οὕτως ἴδοιμι τὴν ἐπιούσαν ἡμέραν.* vel: *Οὕτως ἐπιβίωσιν τῆ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ.*; *Ἵμνῶ σοι τὴν μόγις ἡμῶν ἡμέραν ποθεινὴν ἐύρημην.* (Xen. Ephes. V. 14); *καὶ τὸν βαθὺν ὄρθρον.* (Meleagr. LXXII. 5);

*Νῦξ ἱερὴ καὶ λύγνε, συνίστορας οὔτινας ἄλλους*

*Ἵορκοις, ἀλλ' ἡμέας εἰλόμεθ' ἀμφότεροι.* (Meleagr. LXXI. init.)

Ac si ad amantium sermones descendimus, nihil illos aut in amasiis suis aut in amicis habuisse videmus, quod non idem ad comparativum iusiurandum aptissimum videretur, velut illum, quem saepe appello, Meleagrum Gadarenum (XLIV, LXV, LXVI):

*Ναὶ γὰρ δὴ τὰ σά, κοῦρε, τὰ καὶ κοφοῖσι λαλεῦντα*

*Ἵορματα, καὶ μά τὸ σὸν φαιδρὸν ἐπισκύνιον. —*

*Οὐ πλόκαμον Τιμοῦς, οὐ σάνδαλον Ἡλιοδώρας,*

*Οὐ τὸ μυροῦδαντον Δημαρίου πρόθυρον,*

*Οὐ τρυφερὸν μείδημα βοώπιδος Ἀντικλείας,*

*Οὐ τοὺς ἀριθάλεις Λωροθέας στεφάνους. —*

*Ναὶ μά τὸν εὐπλόκαμον Τιμοῦς φιλέρωτα κίκιννον,*

*Ναὶ μυρόπνον Δημοῦς χρώτα τὸν ὑπναπάτην,*

*Ναὶ πάλιν Ἰλιάδος φίλα παίγνια, καὶ φιλάγρυννον*

*Λύγρον, ἐμῶν κόμων πολλὰ πιόντα μέλη.* Cf. Rufin. Epigr. XXV. 3.

Et ut in his versibus *τρυφερὸν μείδημα* et *φίλα παίγνια*, ita multae aliae res cogitatione percipiendae. *Μὰ τὴν μεχρὶς ἄρτι σωφροσύνην ἐκ παιδός μοι σύντροφον κ. τ. λ.* Xenoph. Ephes. II. c. 1. hoc est: Per pudicitiam a puero servatam tibi iuro, nunquam me cuiusquam libidini inservitutum, sive, ut comparatio appareat: Ut adhuc pudicitiam integram servavi, ita nunquam fiet (certo scito), ut cuiquam morem geram illicita petenti. *Ἐπόμνημι σοι τὴν ἐμὴν καὶ σὴν φίλιαν.* Xenoph. Cyrop. VI. 4. 6; *Νῆ τὴν ἡμετέραν κἀύχησιν.* Paul. I. Corinth. XV. 31. Nec raro vero, sed admodum saepe ad hoc genus iuramentorum, quod vocant abstractum, superiorum rerum omnium, de quibus dixi, usus ita adiungitur, ut et deorum religio et ceterarum rerum commemoratio una adhibeantur. Iurat Ulixes, mendici personam simulans et ab Eumaeo subulco hospitaliter exceptus, Odyss. XIV. 158 sq.:

*Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν, ξενίη τε τράπεζα,*

*Ἴστίη δ' Ὀδυσσεὺς ἀμόνοτος, ἦν ἀφικάνω,*

*Ἦ μὲν . . . κ. τ. λ.* idemque XIX. 303 sq. adversus Penelopam nihildum de mariti adventu suspicantem, nisi quod, quum, illa non ignorante, etiamtum a procis et ab ancillis satis contumeliose habeatur, *ξενίην τράπεζαν* omittit et pro his verbis Iovis auctoritatem auget addito attributo *ἕπατος καὶ ἀριστος*, ut versus ille sic dispescatur:

*Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ἕπατος καὶ ἀριστος.*

utitur autem ille superiore iurciurando integro et illibato adversus Philoetium, bubulcum fidelem (XX. 230); utitur eodem Theoclymenus (XVII. 155), unde colligere mihi videor, fuisse id genus iuramentorum in more quodam positum atque hospitibus tecto receptis solemne. Coniuncta autem et deorum et rerum a sensibus seiunctarum auctoritate Telemachus iurat Odyss. XX. 239:

*Ὀὐ μὰ Ζῆν', Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμεῖο.*

item Hippolytus (Eurip. Hippol. 1025) divina et humana promiscua habens:

*Νῦν δ' ὄρκιον σοι Ζῆνα καὶ πέδον χθονὸς*

*Ὅμνυμι.* et Xenophon Ephes. I. 11: *Ὅμνυμι τὴν τε πάτριον ἡμῶν θεὸν, τὴν μεγάλην Ἐφεσίων Ἀρτεμιν καὶ ταύτην ἣν διανύομεν θάλατταν καὶ τὸν ἐπ' ἀλλήλους ἡμᾶς καλῶς ἐκμήναντα θεόν.* et similiter Chariton. III. 2. et Achilles Tatius V. 16: *Ὅμνυμι σοι τὴν θάλασσαν αὐτὴν καὶ τὴν τοῦ πλοῦ τύχην.* quae poterant apertiore comparatione etiam sic dici: *Ὄτως ἢ θάλασσα ἡμῶν εὐτυχῆ πλοῦν διδοίη, ὡς — Menandr. (fragm. p. 256. Meinek.):*

*Ναὶ μὰ τὸν Ἀπόλλω τοντονὶ καὶ τὰς θύρας.*

Phanias (Epigr. I. in Anthol.):

*Ναὶ Θέμιν, ἀκρότητον καὶ τὸ σκύφος, ὃ σεσάλευμαι.*

Xenarchus (apud Athen. XI. c. 47): *Νῆ Λία, νῆ τὸν κἀνθαρον.* Hunc morem componendorum deorum et rerum inanimarum secutus Aristophanes in avium civitate (Avv. 194) Epopi per iocum tribuit iuramentum:

*Μὰ Γῆν, μὰ παγίδας, μὰ νεφέλας, μὰ δίκτυα,*

scilicet res upupae quidem oppido quam reverendas et ad iurandum non minus aptas, quam quod Demosthenes in publica concione lusisse fertur: *Μὰ Γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποτάμους, μὰ νάματα.* (Plutarch. Vit. dec. orator. c. 8).

De primo disputationis loco, qui de formis est iuramentorum, haec habui quae dicerem; nam de praecisis iurandi formulis *μὰ τὸν, καὶ μὰ τὰς*, aliis, separatim disputavi, quae dissertatio exstat in gymnasii nostri annalibus anno MDCCCXLV editis.



# Jahresbericht

## von Michael 1858 bis Michael 1859.

---

### A. Allgemeine Lehrverfassung.

(W. = Winterhalbjahr. S. = Sommerhalbjahr.)

#### I. P r i m a.

Ordinarius: Herr Professor Dr. Gützlaff.

Deutsch. 3 St. Literaturgeschichte von Ulfilas bis Luther, mit Anschluss der Lectüre (das Nibelungenlied in der Ursprache). Leitung der Privatlectüre. Grössere Ausarbeitungen und kleinere Aufsätze, Extemporalien, metrische Uebungen. Vorträge eigener Reden. Der Direktor. — Latein. 6 St. Cic. Tusc. IV u. V. Tacit. Ann. I. c. 41—81. Exerzit., Extemp. und freie Aufsätze. Hr. Prof. Dr. Schröder. 2 St. Hor. Od. III u. IV. Epist. I u. II. Memorirübungen. Hr. Oberl. Gross. — Griechisch. 6 St. Hom. II. XIII—XVIII. Herod. I. Plat. Apol. Socr. (Priv. II. XIX—XIV. Herod. III. 1—100). Schriftliche Uebersetzungen einzelner Stellen. Memorirübungen. Exerzit. und Extemporal. Einzelne Theile der Syntax. Der Direktor. — Hebräisch. 2 St. Lesung von Genes. 39—45 und Ps. 82—94. Repetit. der Formenlehre. Besprechung der wichtigsten syntakt. Regeln im Anschluss an die Lect. Exerz. Hr. G. L. Henske. — Französisch. 2 St. Lectüre ausgewählter Gedichte v. V. Hugo. Phèdre von Racine. Wiederholung der Grammatik. Sprechübungen. Hr. G. L. Gräser. — Religionslehre. 2 St. Lect. des Römerbriefs im Urtext. Besprechung der Glaubenslehre. Wiederholung der Einleit. in die Bücher der heil. Schrift. Wiederholung von Liedern, Sprüchen und Luthers Katechismus. Hr. G. L. Henske. — Mathematik. 4 St. W. Kombinationslehre, binom. Lehrsatz, Kettenbrüche, unbestimmte Gleichungen, Gleichungen vom 2. Grade mit 1 und mehreren Unbekannten. S. Stereometrie. Hr. Prof. Dr. Gützlaff. — Physik. 2 St. Abschnitt 1—6 nach Brettners Lehrbuch. Hr. Prof. Dr. Gützlaff. — Geschichte. 3 St. Neuere Geschichte nach Dietsch bis 1815. Hr. Oberl. Gross.

#### II. S e k u n d a.

Ordinarius: Herr Professor Dr. Schröder.

Deutsch. 2 St. Lectüre, dabei Besprechung einzelner Theile der Poetik und Metrik. Leitung der Privatlectüre. Aufsätze und metrische Uebungen. Uebungen im Disponiren und im freien Vortrage. (Mit der I. Abtheil. in 'ausserordentl. Stunden während des Winters Lesung klassischer Dramen). Hr. G. L. Dr. Breiter. — Latein. 8 St. Gramm. (Zumpt §. 1—450). Cic. Phil. I. III. IV. IX. X. XIV und pro Mil. (Priv. Liv. I und II). Memorirübungen, Exerzit., Extemp. und

